Anatomes publicae anno MDCCV. Stockholmiae habitae lectio tertia, sive, Omnipotentis mirabilia circa generationem humanam / publico sermone demonstrata ab Johanne von Hoorn. Nunc suasu quorundam edita, & valetudinario Academiae upsalensis dicata.

Contributors

Hoorn, Johan von, 1662-1724.
Roberg, Lars, 1664-1742.
Deventer, Hendrik van, 1651-1724.

Publication/Creation

Upsalis : Typis Wernerianis, 1709.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/k2ethx6n

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

6612/1

ANATOMES PUBLICAE
Anno MDCCV. Stockholmiae habitae

LECTIO TERTIA.
Sive

OMNIPOTENTIS MIRABILIA
Circa

Generationem Humanam,
publico ſermone demonſtrata
ab
Experientiſſimo Dno.

JOHANNE VON HOORN
STOCKHOLMIENSE,
Medicinae Doctore Practico, & Coll.
Med. Aſſeſſ. Digniſſimo,
Nunc
ſuaſu quorundam edita,
&

VALETUDINARIO ACADEMIAE VPSALENSIS
DICATA.

Ovid. Pont. l. II. El. IX.
Conveniens homini eſt hominem ſervare voluptas,
Et melius nulla quaeritur arte favor.

Upſalis, typis WERNERIANIS, Ao. 1709.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

In

VALETUDINARIUM ACADEMIAE UPSALENSIS

EMBLEMA.

Qualiter ex mediis Phoenix exſtare favillis,
Excita nutrici lampade Solis, amat:
Sic, domus alma aegris, ambuſta ſurgis in urbe;
Hoc pietas ardens, quae dedit, usque dabit.

J. U.

* * *

LAURENTIO ROBERG

Professori Medico Upsal.

JOHANNES VON HOORN M. D.

S. P. D.

Cum secundum saluberrimas & Regias constitutiones, Medicis Stockholmiensibus demandaretur Ao. MDCCV Martio mense, medica & publica humani cadaveris anatome, in usum partim tironum artis, qui hac veluti oculari inspectione microcosmi ad occultiorem ejus oeconomiam perspiciendam initiantur, non aliter ac ad historiam gentium imperiorumque per geographiam introducere juvenes in literariis ludis solemus, partim & in gratiam confluentium spectatorum & civium, qui recordatione fructuosa, licet cum specie horridiuscula viscerum cruentorum conjuncta, sui cognitionem redimere, quam in ludicrae & licentioris comoediae spectaculo alios irridere maluerunt: contigit tum mihi, ut genitalia virorum organa anatomico cultello discernerem, eorumque functiones enarrarem. Ubi, quae maxime necessaria erant, & quae praesentes requirere quasi a me videbantur, ut poteram in illa festinatione & tumultu peregi; sed de ulteriore earundem repetitione, vel mansura per

impressio-

impressionem etiam in posterum publicatione minime constituebam. Nam & praevidebam manifeste, quam forent multa describenda, quae cum venia, verbis quasi avolantibus, in sermocinatione ejusmodi proferuntur; impressa vero chartis, nostris hominibus severioribus indignationem vel fastidium movere possent, occasionemque dare perversis & cavillatoribus, hosce conatus meos traducendi: & praeterea in scripto, quocunque studio concinnato, merito tamen a lectoribus desideratum iri animadvertebam id, quod in illa demonstratione publica praecipuum erat, attentosque spectantium animos tenebat, internarum demortui corporis partium distincta expositio: miros enim illos fibrarum, tubulorumque anfractus, quae uno oculorum intuitu capiuntur, repraesentare verbis, disertissimus licet, frustra tentes. Denique cum in eadem hac anatome publica ab aliis item claris medicis res non minus momentosae, quam hae meae essent, pertractatae sint; & praecipue nobilissimi Archiatri Doctoris Urbani Hierne elegantissima introductoria Oratio, qua sancti illius, olim etiam e longinquo religiosis Judaeis adorati, Hierosolymitani templi convenientem cum humani corporis compage structuram per partes singulas deducebat, omnium attentionem ap-

plausumque

plausumque promeruisset: videri merito possent, cupidius haecce a me & festinantius promulgari. Interim tamen, cum qualiacunque haecce mea desiderari jam saepius a quibusdam audirem, & praeterea quaedam referrentur quasi dicta a me, sed minus recte percepta, praecipue ab iis, qui in illa auditorum frequentia longius removebantur ab interiore circulo theatri nostri; & denique rem ipsam, mechanicas scilicet partus caussas, mereri judicarem, ut in eas a doctis viris inquireretur, imo crederem matronas etiam nostras non illibenter passuras, ut harum rerum circumstantiae sibi demonstrarentur: constitui tandem, mea collectanea revidere, & quae dubia erant insertis observationibus, licet postea a me factis, firmare, & involuta paulo prolixius deducere, usque eo, ut quae ob circumstantium juniorum aures tum transibam, nude hîc & detracto velo, in Latina tamen lingua, adeoque ut spero, sine scandalo sisterem Lectori. Nescio enim quomodo in hac lingua tolerabiliora sunt, & accepta jam usu, partium etiam obscenarum vocabula, quae nostra lingua foeda viderentur; saltem nulla verecundius loquentium consuetudine commendata sunt. Potuit itaque neque haec difficultas, quae alium forsan deterruisset, deterrere me a scribendo, qui ut salu-

taria

taria praecepta obſtetriciae artis comprehenderem, traderemque noſtris mulieribus, ſolo ſaepe rerum uſu, non ſine quadam temeritate nitentibus, incubui inprimis huic medicinae parti in exteris ſcholis, & ejus documenta, uti ſpero, non obſcura dedi, tum inſcriptis antehac publicatis, tum in aegrotantium tractatione ipſa. Tibi vero, mi Roberg, manuſcriptum hoc transmittere volui, non tam eo nomine, quod in praedictae hujus anatomiae occupatione & tu, de corde & cerebro & corporeis cauſis humanorum affectuum praelegendo, & inſuper quae ceteri demonſtrabamus viſcera praeparando, pars hujus fabulae magna fuiſti; quam praecipue propterea, quod cunctanti mihi, dum exſpecto ut reliqui ſua prius edant, & haeſitanti, tu ommino auctor exſtitiſti, ut non ſupprimerem hasce ſchedas meas, neque illorum parentum more, qui impune olim, quos educare nollent, exponebant liberos, & ego hunc ingenii foetum quaſi male natum damnarem tenebris abjiceremque. Praeterea cum eſſes mihi a teneris cognitus, ſtudiorum utpote & itinerum comes ac ſocius, ut transactae inter nos familiaritatis & communium laborum qualecunque monumentum exſtaret, deſideravi. Ita autem haecce transmitto, ut publici juris facias, & ſponſoris inſtar ac

ſusceptoris

susceptoris hunc natum meum exornes, & naevulos, si qui erunt, patri non animadversos, occultes vel dissimules. Transegi autem cum Eximio vestro typographo Dno. Joh: Wernero, ut impressionis sumtus Academiae Nosocomio remitteret; posteaquam enim omnes reditus istius anatomiae, cujus haec dissertatio pars est, jamdudum lubenter praelectores quinque Medici eidem domui concessissent: aequum etiam esse & ipsum, qui ad Academicam societatem non invitus spectaret, & Upsalensem typographiam sedulo quotidie perficeret, omnibus litterariae istius reipublicae congaudere commodis, adeoque & novo huic valetudinario favere: quod mihi veluti ex cineribus excitari videtur, post luctuosum illud incendium urbis, non aliter ac in silvis igne adustis novas propullulare plantas & frutices non ante visos, saepe videmus. Satisfecit autem praenominatus typographus facile petitioni meae. Itaque vellem ego, ut non divenderentur exemplaria, sed ut dono offerantur Patronis Nosocomii, tum qui jam sunt, tum qui referri non dedignabuntur in numerum bonorum virorum, desiderantium, ut salubre hoc institutum perficiatur, quod artis medicae culturae plurimum apud nostros adjumenti adlaturum esse saltem ii non desperant, qui tenuibus hujus domus initiis*

* Anno 1702, d. 15 & 16 Maji

deesse

deesse noluerunt. Nunc certe bonam spem boni omnes concepimus, posteaquam & auctoritate sua & insigni insuper donatione robur addidit infirmae rei, VIR, non concipiendis solum, sed & perficiendis egregiis rebus natus, Illustrissimus Academiae Vestrae Cancellarius, Dn. Comes CAROLUS PIPER.

Equidem qui & aliis Academicis studiis, & huic nostro inprimis lubenter obtrectare solent, eam ferunt & hodierni moris conditionem esse, & ipsius artis medicae naturam, quae deterrere potius ab ejus cultura juvenes, quam ad illam allicere deberet. Quid enim, inquiunt, in hac fragilitate humana, & hac non jam conditione, sed necessitate quasi brevi pereundi, in hoc denique ferreo seculo & truculentis odiis mortalium, dum bello furiatae gentes, agitataeque faculis libertatis speciosae, vel dulcis dominii, saeviunt in semet ipsas, internecione mutua, pugnisque Cadmeis; quid tandem juvat Æsculapicae artis filiolos de valetudinis regulis, de servandi boni habitus scrupulosis praeceptis, de morborum caussis in aëre vel aqua latentibus, denique de vita pharmacis prolonganda, esse sollicitos? quid refert, in illa perditae luxuriae & desidiae damnosae, divisa & inveterata in hanc nostram vitam tyrannide, dietae formulas anxie suspensa-

que

que manu praescribere, negligentibus & fastidiosis? Et ut ista mittantur, quid expedit, instant, ambiguis & occultis distrahi? nam cum valde limitata sit omnis humana scientia: in medicina facienda insuper requiruntur multa, quae simul adesse rarissime contingunt. Vita nostra brevis est, & ars diffusa ac longa, & rerum gerendarum momenta subito praetervolant, & novis grassari experimentis periculo non caret, & perspicacia ingenii saepe fallitur, & deniq; ut nihil peccetur in his, tamen non est in Medico semper relevetur ut aeger: sed necesse est & aegrum ipsum probe comparatum esse, & qui circumstant domesticos, consanguineos, amicos, peregrinos, & externa plurima alia conspirare quasi in salutem decumbentis. Quotusquisque vero, obsecro, de iis simul omnibus gloriari potest? Ut autem ardua nil detrahant Apollinaris artis pulcritudini, ad hanc tamen solam in eligendo vitae genere circumspicere rarius solemus; sed liberales licet disciplinas, tamen in communes usus vertere & trahere cupimus: haec autem ars suos cultores rarius vel opibus auget, vel voluptuosa vita & otio jucundo beat, vel ad dignitates evehit, mactatque honoribus. Verum ut finiam tandem, licet non usq; adeo mirum sit, jacere hanc disciplinam,

*ob cognitionem humanae naturae quam tradit, & proximi bonum quod promittit, regibus alioqui, si gloriari licet, & viris sanctis adamatam, *, semper certe dignam & philosopho homine & Christiano, interim tamen ut plane tollatur illa, non fiet unquam. Qui primo posuit medicinae pretium, mortalium sollicitus amor vitae, idem hujus artis decus etiam in posterum conservabit: & insuper excitata a natura videmus omnibus temporibus egregia quaedam ingenia exstitisse, quae huic imprimis disciplinae tractandae incubuere: in qua re non est, ut habet Gallicum proverbium, disputandum de gustu. Sunt, quos juvet, ut inquit Horatius, Lituo tubae permistus sonitus. Virgilii* Japis,

Scire potestates herbarum usumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Carere certe medentum opera plane nequeunt, vel regum classes, vel exercitus, vel urbes populosae, vel habitantes dispersim in vastis provinciis nobiles & plebeji; ne bruta quidem animantia, quorum vel incolumitate vel strage saepe constat & agricultura, & res militaris, & opificia oppidanorum, & iis nitens vera illa & genuina mercatura. Recte itaque inter artes huic reipublicae & imperio, utiles bonasque, & colimus

* *Whitaker. de Regib. & Sanctis professione medicis.*

colimus hanc disciplinam in Academiis, & clementissimorum regum nostrorum munificentia, qui ad haecce lentiora studia benigne vertere, quos orbi debent, oculos, voluerunt, publica sunt praemia proposita medicinam exercentibus; & ut commodis incrementisq; salutiferae artis consuleretur in commune, in ordinem certumque collegium, regiis munitum privilegiis, acti omnes sumus: ut jam non memorem, quae quotannis distribuuntur stipendia selectis medicinae tironibus, utq; taceam, non indecore alias interserenda titulis laudibusq; incomparabilis HEROIS REGIS CAROLI XII, concessos gravissimis reipub. temporibus tum Laboratorii Stockholmiensis philosophicis ignibus, tum ruinis Theatri Anatomici Upsalensis, publicos sumtus. Cumque jam in universum duobus quasi fulcris nitatur & incedat ars medica, theoria & praxi, seu ratione & experientia: utiq; debent & eadem indistracta ab se invicem manere, nec praxis in empiriam circumforaneam abire, nec theoria in commenta opinionum. Debent & eadem mature conjungi, ne tirones artis vel solo tonstrinae spiritu freti, vel disputationum vento agitati, ad aegrotantium visitationes festinent gloriosi, vel famelici. Et ut verbis forte persuaderi alicui nequeat necessitas conjunctionis ratio-

nem

nem inter & experientiam, exempla saltem id monstrabunt. Qui in caussas inquirunt efflorescentis medicinae apud Graecos primum, & Romanos, & Mauros postea, tum consequentibus temporibus apud Italos & Gallos hodie, Germanicasque gentes, non aliam praeter hanc invenient. Et qui exteras lubenter frequentare regiones nostri solent, fatebuntur quanto cum artis incremento, & quanta cum luce publice decumbentium jam non aedificia, sed palatia verius & templa celebrentur a Medicis filiisque Medicorum, Amstelodami & Londini & Parisiis; ut minora loca vel a nobis remotiora praeteream. Animadvertent & id, quod majoris est momenti, videlicet quam sint hae gentes sedulae in indigenis artis subsidiis, & quae in illorum potestate sunt, excolendis; quam insuper habeant supervacanea, suspecta, vana, etiam exotica, nobis duro sæpe redimenda pretio. Sed redeo tandem ad ea, quae ad me spectant, & ad dissertationem meam: quam ut efficerem minus languidam, excitatioremque repraesentarem, ita hic omnia retuli, ac si alloquerer etjam praesentes meos spectatores. Tu vero, amicorum integerrime, vale.

Ad UPSALAM
Hygieinae novas instaurantem aedes, GRATULATIO.

UPsala, Numinibus quondam possessa vetustis,
Intonsumque prius devenerata nemus,
Cum triplici patrium lustrares sedula Divo,
Thuricremis aris, carminibusque solum:
Quis Te perpetuo Divos ardere coëgit,
Mascula flammivomis & dare thura focis?
Scilicet ejectos veteri post sede Penates,
Quassa repentino Numina fluxa metu.
Altera continuis Tibi Numina currere seclis,
Alter Apollo Deus, non peritura, dedit.
Nempe perantiqua Pietas venerabilis urbe
En! sedet, & lituo condecorata manus:
Sanctaque Relligio, fulgenti splendida palla,
Infula cui nitidas ambit amoena comas.
Tumque Themis, frontem limbo velata pudicam,
Exul, in antiquis insidet aequa locis.
Et sua quae pridem meruit delubra vocari,
Excita divino semine, Hygéa potens,
Exspectata videt tandem sibi surgere fana,
Fana procellosis non ruitura notis.

Nunc

Nunc ſua fatidico ſcrutatur ſcrinia vultu
Diva, ſalutiferum promere gnara bonum.
Quin etiam ſuccos, atque auxiliantia morbis
Gramina, quae patriis, colligit, orta plagis:
Fervidus & valido quo ſtet medicamine ſanguis,
Quomodo depaſcens pectoris ignis eat;
Quo pariter, diris urens fervoribus artus,
Tollitur auxilio, mox rediviva, Febris:
Quid faciat ſomnos, quid hiantia vulnera claudat,
Sive lues ferrum, pharmaca ſive ferat,
Edocet, intentans ſalientem pollice venam,
Et præbens docta pocula miſta manu;
Sicque ſalutares membris adhibendo medelas,
Corpore ab ægroto pallida fata fugat.
Felix illa dies, alboque notanda lapillo,
Upſala, Phoebéam quae Tibi miſit opem!
Altera Numinibus non Te foecundior orbe
Urbs erit, ingenuis tot celebrata viris.
Ut longaeva ſolet Phoenix, bona fabula Vatum,
Aſſyriis ſylvis, unica ſemper avis,
Texit odorata cumulum quae fronde Sabaeum,
Et teneris herbis, immoriturque rogo.
Sed mox emeritos artus, in morte reformat,
Et queat ut naſci, concupit ante mori:

Sic

Sic post Templa Deûm ferali mersa favilla,
Nil ubi vis hominum, flumina fusa nihil,
Pulcrior exuviis atris, atque ardua surgis,
Pulcraque jam tota stabit in urbe domus;
Et nova, quae Medicae condis, Penetralia, Divae,
Nomen ab aeterna posteritate ferent.

Stockholmiae d. 15 Febr.
1709.

J. LINDER.
M. D.

EMENDANDA.

Pag. 8. *lin.* 16. quas *lege* quae. *pag.* 22. *lin.* 8. poruiſſe *lege* potuiſſe. *pag.* 24. *lin.* 5. quodam *lege* quoddam. *pag.* 33. *lin.* 25. cum uracho *adde* ſaltem in brutis. *pag.* 32. *lin.* 7. grandiore aliquo animali *ſubintellige* equum, *nam de eo quadrat ſimilitudo.* *pag.* 70. *lin. ult.* ejus umbilicum *adde* ſpectabat. *pag.* 93. *lin.* 14. invehre *lege* invehi. *pag.* 96. *lin.* 11. illo *lege* illi. *pag.* 101. *lin.* 9. quae *lege* qui. *ibid. lin.* 12, qui *lege* quae. *pag.* 110. *lin.* 7. innanis *lege* inanis. *pag.* 137. *lin.* 11. qnarum *lege* quarum. *ibidem lin.* 23. abdamus *lege* abundamus.

PRÆLECTIO ET DEMONSTRATIO ANATOMICA

Quam Holmiae Anno 1705. d. 29. Martii habuit

JOHANNES VON HOORN M.D.

***

Raecipuum quod mihi in animo proposueram in hac prælectione & sermocinatione publica id erat, *AUDITORES HONORATISSIMI*, ut demonstrarem vobis, qua ratione foetus ex claustris maternis in hanc lucem, non vi propria, vel ope, sed ex aliis agentibus causis, mechanicè quasi propellatur, quodq; plane passive sese habeat in partu. Id, si possem evincere, certe cadet tum, quorũdam, imo plurimorum * opinio, quod septimestris partus sit magis vitalis octimestri. quasi esset octimestris ob suos conatus, vel ante partum, vel in ipso, defatigatus, adeoque exhaustis ob

 laborem

* *Hipp. de part. oct. cum longa serie Commentator.*

laborem viribus. Cui persuasioni multorum, quamquam sæpius videamus experientiam repugnare, nolo tamen in aliorum sententiis oppugnandis & refellendis promptum, vel emendandis sollicitum me ostẽdere; sed unicuiq; virorum doctorum lubenter suam relinquo fovendam opinionem. hoc autem loco vobis gratissimum fore confido, & mihi convenientissimum; si quæ per experientiam edoctus sum circa partum mulieris & foetus exclusionem, clare distincteque ostenderem, quod sequente modo efficere conabor.

Omnibus certe animantibus, quae inter homo principatum merito obtinet, indidit DEus & ingeneravit naturale quoddam desiderium se suumque genus conservandi: nam singuli animalem illam œconomiam, vitamq; cibo & potu sustinemus, ut quae per manifestas vias, vel insensibilem dictam transpirationem, seu virium dissipationem decedunt corpori omni momento & deteruntur quasi, reparemus: & morbis praeterea ac injuriis externis obsistimus, & praevenire eadem studemus. estque haec prima conservationis ratio. Altera vero ad per-

ennitatem

ennitatem noſtram via, conſiſtit in ſpeciei propagatione, cujus ope etiam poſtea, quam vita ſumus defuncti, aliquid nobis ſimile relinquimus orbi. Hujus rei perficiendae gratia, cum requiri videamus marem & foeminam, inſtructos itidem in eum finem eos animadvertimus ſuo quemq; apparatu ac ſupellectili quaſi: cujus anatomen ut ſpectaretis, A. H. interioremq; ſtructuram oculis perciperetis, huc ſine dubio, & quidem, ut ex omnium veſtrûm laeto vultu percipio, praecipue acceſſiſtis. Equidem non potuit nobis ita commode hac vice contingere, ut organa utriusq; ſexus ſimul explicata in tabella vobis exponeremus: quemadmodum in publica, quae de ſimili fere argumento eodem hoc loco ante aliquot annos * habebatur praelectione, factum fuiſſe, plurimi veſtrûm forsan adhuc recordamini. Nos quidem virorum partes accurate diſſectas hîc demonſtrabimus, & quis ſequatur uſus ex illa ipſa ſtructura docebimus. muliebrium autem locorum & primi noſtri domicilii interiora, ne plane vos lateant, ecce, contemplandas vobis illas partes propo-

 nimus

* *a L. R. Prof. Med. Upſ. Ao. 1697. Febr. menſe.*

nimus ex aluta molli, ita arte fabrefactas, ut & uteri fundum, & os, & vaginam cum rugis, & ligamenta & cornua dicta, sive tubas naturali circiter magnitudine expressa omnia repraesentent; externis hujus visceris partibus omissis anatomica dexteritate, ut innotescant, non indigentibus. Ut autem singuli vestrûm rectius haecce possitis percipere, ecce circumferam, sed obstetricibus junioribus praesertim meditanda suaderem, quarum instructioni, si quid ego meis studiis inservire possem, lubentissime id facerem. Maris genitales partes, uti videtis, primum constant virili membro, tum testibus in scroto reconditis, denique tubulis quibusdam sive intermediis canalibus, quorum ope & cum supernis abdominis visceribus, communicant, & inter se, quae jam nominavimus. Suntque isti tubuli, spermatica vasa, sic dicta auctoribus, cum tamen cruore plena semper sint, tum ejaculatoria vasa sive deferentia, confectam jam genituram continentia: & denique urethra, quae licet continuatio quaedam cervicis vesicae sit, usq; ad penis finem elongata, uti videtis, adeoq; emittendae omnis

urinae

urinae unica via, tamen & virile ſemen per exilem hanc, quam quaeſo aſpicite, carunculam duobus ſuis praeditam foraminulis, ſeta nigra hîc indicatis, erumpit e ſeminalibus hisce veſiculis in praedictum meatum *: adeoque duplex ejus uſus eſt. unde disceptare inter ſe otioſi quidam doctores ſolent, quisnam jam uſus ſit vel primarius, vel ſecundarius; ego illum primarium judico, quo & omnes indigemus & quotidie. Verum ſingula accuratius explicanda recurrent poſtea. Nunc partibus ſic utcunque & in anteceſſum cognitis, ut ordinem in dicendo ſervemus, faciamus noſtrae narrationis initium ab ipſa illa humana genitura in uterum delata, tumque de conceptu formabimus in animo noſtro conceptum, porroque cum increſcente foetu progredientes cum ſermone noſtro, tandem ad partum perveniemus, eumque ſolo conatu & labore matris peragi docebimus. Obſervare autem hîc poteſtis arteriam teſticularem, dictam praeparantem, ab aortae trunco excurrentem usque ad teſticulum & epididymidem, ramificationibus & divaricationibus pauciſſimis, ut ſolent arteriae, re-

* *Graaf. Tab. 6. fig. 1.*

 ctioribus

ctioribus lineis corporis viſcera trajicere: per hanc a corde calens ſanguis ad teſtes fluit, ubi ſecretò ſenſim ſeminali latice venam ingreditur, quam itidem antiqui praeparantem dixere, ignota utpote adhuc ſanguinis circulatione, ſed minus proprie dixere; nihil n. praeparat: recipit ſolumodo cruorem redeuntem, eumq; in cavam venam refundit, unde ad originem ſuam, cor ſcilicet, revertitur. Sunt autem hujus teſticularis venae divaricationes & uniones elegãtes ſimul & admirabiles, * quemadmodum hîc aſpicitis, varias illas ramificationes ſecretas ab invicem & explicatas: ut omnino videantur ſanguineae guttae in prima illa pueruli conformatione in utero, quaſi haeſitaſſe in itinere, dum a teſtibus verſus corculum ſuum redibant, utpote ſuo ſpirituoſo fluido tunc deſtitutae. Sed mittamus iſta. Teſtium autem liquor defertur per deferentia dicta vaſa, quae videtis, ad ſeminales hasce veſiculas, in quibus quaſi promptuariis reſervatur, vel involuntariae per ſomnum excretioni, quam nocturnam pollutionem dicunt, vel quod primo loco dici debuiſſet, congreſſui cum muliere. Meretur hîc A. conſide-

* *Graaf. de Organ. tab. 1. fig 2.*

consideratione vestram imaginationis vis, quae in dormientibus longe fortior, quam in vigilantibus est. quocunque enim modo libidinosis quis obsecundet cogitationibus, cogitatio certe sola seminis effusionem non concitabit: per insomnia tamen id non raro continget: ubi nec diurna objecta interturbant animi motus, nec tenendo corpori erecto vires impenduntur, sed membra quiete soluta stragulis insuper incalescũt. Verum rem ipsam consideremus, hoc est, congressum utriusque conjugatorum prolis habendae causa. Si autem omnia naturae arcana hîc percipere voluerimus, necesse erit, ut non festinemus, sed pedem quasi figentes, attente circumspiciamus ad omnia, quae tum contingunt. Et primo quidem consideremus peculiarem, quae in utroque sexu praecedit, praeparationem: primo marem videamus libidine commotum & coitus appetentem; dum enim is uxoris amplexu flagrat, sanguis omnis exaestuat, quod ex citatiore arteriarum pulsu deprehenditur, si vel abessent alia signa; sanguineus rubor in vultu, & in oculis laetitia, & ex corpore universo transpirans quasi fu-

mus

mus quidam incalescentis concupiscentiae. Sed nec solum sanguis verum praecipue genitura in suis contenta vesiculis, quas ostendebamus, turgescit, non aliter ac si quaedam ibidem esset fermentatio, & præterea intumescentiam quandam in sese circa perinaeum observare eo momẽto plurimos scio *, & quasi distensivum dolorem, qui remittit ubi cupidini satisfit. Eadem haec dicta fermentatio est, quae stimulat & concitat musculosas membranas testium & scroti, ut priores retrahantur, corrugetur vero posterius: nam de colis musculis res manifesta est. hi enim stringentes corpora quas videtis cavernosa dicta, ita simul premunt venas, ut impetuose influens arteriosus sanguis, dum prompte non refluit, abundantia sua distendat praedicta corpora, & infarciat quasi, unde conciliatur membro firmitudo & constantia major minorque. quod redditur evidentius in morboso illo statu, quo musculi hi corripiuntur spasmo sive convulsione continua, ubi ita obrigescit & distenditur in omnem dimensionem penis, ut doleat inde graviter, nec ullo modo levetur: dixere ** medici auctores Priapi-

* ** *Ettmüll. Tom. 2. p. 1007.*

smum

ſmum: quoniam ſcortorum patronus apud gentiles tali membro a pictoribus & poëtis fingebatur. Rurſus ſi muſculi hi reddantur paralytici, ſequitur vel ex ſola hac cauſa deficiens erectio, adeoq; membra torpida tum redduntur & flaccida. Hæc fermẽtãs genitura etiam lympham exprimit, ex proſtratis quas videtis glandulis, quae lenta eſt & glutinoſa, unde & urethra ſubſequentem genituram ſic facilius transmittit: praeterea haec viſcoſa lympha immixta maſculino ſemini impedit, quo minus ita facile evaporet: quemadmodum in officinis pharmaceuticis videmus, quod lento amygdalarum oleo, fugaces odores jaſmini vel aurantiarum florum retineant & ſervent. In quibusdam autem viris hæc proſtatarum lympha tam copioſe adeſt, ut interdum promptiſſime effluat ad quoscunque animorum libidinoſos motus, ſive conjugem deſideret maritus, ſive amaſia ſuo aſpectu & aura quaſi, amatorem adoleſcentem concitet. Et iſta quidem hactenus in maribus. In foemineo autem ſexu res alio modo ſeſe habet, quod referendum itidem eſt. Licet enim in ſanguine ſimilis fere excitetur

quaſi

quasi fermentatio, sensibilis interdum, nec occulta adstantibus, membra tamen ipsa non indurescunt, sed leniuntur & remittunt quasi, aridaque ante & sicca, jam affluente humore mollescunt, glandulis quibusdam, Anatomicis nostris alias & distincte descriptis & delineatis in super, lympham fundentibus tenaciorem & glutinosam, unde viae redduntur ductiles, quasi pararet sese natura ad suas functiones peragendas. haec lympha in aliis etiam animalibus copiose fluere observatur: & in maturis viro mulieribus commovetur saepe ad cogitationes paulo lasciviores, fere eodem modo ac in homine esuriente ex appositis in mensa dapibus saliva moveri solet; sentiuntque mulieres sese ea quasi perfundi, ubi colloquuntur cum viris suis amantius, ut jam taceam amplexus ipsos & congressus, ubi interdum & mariti id animadvertunt. Sed in quibusdam corporibus sanitate minus firma gaudentibus, ita parce fluit hæc lympha, ut inde non sine quadam difficultate viris cohabitent. Et comperui * conjugum quorũdam super hac re querelas, adeo ut nuptae huic non voluptati jam, sed torturae subtra-

here ſeſe mallent, quam obſecundare ſuis viris. Ad quas ſopiendas querimonias, hosque defectus naturae ſupplendos arte, viris vel commune oleum, vel unguenta medicata praeſcribi debent. Praeterea haec lympha quam deficere diximus interdum, interdum & acris valde redditur, unde aliud malum oritur, quod ubi levius eſt, pruritus dicitur, ubi ingraveſcit, fit uterinus furor, ſive ſummus ſalacitatis gradus, & delirium libidinoſum, nimiumque tunc deſiderium maniam infert, non tamen truculentam, ſed blandam & mitiorem. Mihi quidem in praxi obſervare licuit *lymphã hanc fuiſſe in hoc morbo interdum tantae acrimoniae, ut inſtar veſicatorii emplaſtri femora excoriaret & ſalſamentorum referret nidores. haec autem dicta ſufficiant de praecedente ad congreſſum apparatu in muliere. Proximum jam eſt & neceſſarium requiſitum, ut genitura maris ab aëris ſecura injuriis immediate deferatur non in vaginae quendam angulum, adeoque irrito conatu & fruſtraneo, ſed in uteri interiora. in quem finem membrum a vaginae rugis dirigitur quaſi, dum interim matricis liga-

menta affixa pubis ossibus, abbreviatione sui trahentes internum orificium transversim positum, faciunt id descendere obvium virili urethrae, adeoque aperturis in hunc modum cruciatim sese tangentibus, ipsa quasi conspirare in suum opus viscera videtur. Exempla* tamen prostant foeminas concepisse ubi interior illa membrorum conjunctio non praecessit: & mihi etiam notus est civis honest⁹ huj⁹ urbis **, qui non nisi postquam peperit uxor ejus, recte cum illa congredi potuit. In hoc autem conflictu non mirum est seminales vesiculas, quas jam ostendebamus, arctari, adeoque exprimi contentum liquorem in urethram per exilem hanc carunculam. exceptus vero liquor tum motu peristaltico urethrae, tum actione musculorum circumjacentium per reiteratos conatus propellitur & excernitur: numerantur hi musculi quatuor, quos hîc praeparatos aspicite: duos collaterales seu erectores, duos alios dilatantes seu deprimẽtes dictos, quos licet separatos ab invicem & discretos, tamen agere conjunctim in nobis experimur. adeoque retuli jam vobis A. nude & simpliciter omne illud quod praestare

* *Riolan. Anthrop. l. 2. c. 35.* **

ſtare ad impraegnationem maſculus poteſt. Quid autem praeciſe & quomodo conferat nupta, non ita obvium vel facile determinatu eſt, quod vel ex ipſis in hac re ſibi contradicentibus auctoribus patet: interim quid mihi & attento in hanc rem, & medico uxorato cognitum & exploratum ſit, vobis, A.H. referam: quod dum facere nequeo, quin propalem plurima ex ſecretioribus mulierum & familiaribus ſermonibus percepta mihi, haereo certe num id deceat publico hoc loco. nam concitarem forſan iram in me honeſtarum mulierum, & formoſas laederem illa deſcribendo, quae invitiſſimus quisque alteri oſtendit. Tamen cum ſpectent quaeſtionem noſtram propoſitam, & requirantur ad enodandum hoc mire contextum opus Conditoris, & praeterea faciant ad refellendos eorum ſermones, qui negant * ineſſe mulierum corporibus genuinum ſemen, unde & inter veteres quidam foemineos teſtes fruſtra factos & ſpurios dixerunt, nec niſi rudimenta quaedam aberrantis naturae: Spero, A.H. mihi non vitio verſum iri, ſi non certe inurbani joci, vel dementis riſus captandi; ſed utilis doctri-

* *Ariſtoteles, Averroës, Avicenna.*

nae

nae gratia ad illa me accingam; Equidem in disceptationibus difficilioribus non ita presse debemus inhaerere sententiis scriptorum celebrium, quin etiam attendamus interdum ad ea, quae hominum vulgo de re eadem videntur. Jam autem primum notari velim, quod communi quodam consensu credatur dari & reperiri in foemineo corpore, praeter illam cujus mentionem supra fecimus lympham, aliud quoddam semen: quamquam quid id praecise sit, haud ita facile est per anatomen detegere, ejusq; originem viasq; determinare: & constat certe inter conjugatos, uxorem æque ac maritum per intervalla suum semen ut ita dicam fundere, quod licet mulier non eo modo & manifeste excernat extra sua viscera, quo mas, tamen sentire sese in sinu hunc seminis motum confitentes jam saepiº mulieres audivi, * & praeterea foemina languescit aeque ac mas & defatigatur illa secretione peracta: & genitalia viscera in utroq; sexu admodum tunc sensilia sunt. & dum fit, stringitur vagina & contrahitur, quod explorasse sese in semetipsis retulerũt mihi mulieres ingenuae, & in maribus itidem huic quid

simile

ſimile efficere acceleratores muſculos dictos nobis ipſi ſumus conſcii. Inſuper mulieres aeque ac mares, ac cum voluptatis quodam ſenſu, pollutione dicta nocturna per inſomnia vexantur. praeterea referunt interdum contingere, ut iſta voluptuoſa reſolutio apud illas fruſtretur quaſi, & ſubſiſtat in congreſſu, non ſine quadam animi moleſtia, quando masculus ocius ſeſe expediens abſolvit ſuum, ut ita dicam penſum promptius & feſtinantius, nuptamq; hac ratione quaſi deſerit: contrario etiam modo poſſe accidere, ut procedente lentius marito & ſegnius, illa interim bis vel ter interpoſitis tamen temporis momentis ſuum conferat, quod mihi perſuaſerim obſervari frequentius in meridionalium regionum mulierculis. Ubi vero praeter lubitum nupta & invita quaſi cogitur ad amplexus a marito, ne ſemel quidem tũc experiri illas illum in ſeſe inteſtinum motum, nec percipere voluptatem notam. Etiam audivi ſaepi9 * matres quasdam aſſerentes ſeſe ſine ullo voluptatis ſenſu ſuos concepiſſe liberos: quae diverſae circumſtantiae in diverſis induxerunt noſtros ſcriptores, ut de exiſten-

tia foeminei ſeminis ambigerent, praecipue cum eſſet & id animadverſum, quod aliquando cum utriusq; ſexus voluptate mutua & reſolutione celebretur congreſſus, absq; tamen impraegnatione inſequente. Interim, hoc non obſtante ſunt quaedam matres, quae perfecte determinant illum quo concepere amplexum, ubi autem interrogantur de indiciis iſtius conceptus, reſpondent ſimpliciter ſibi intra viſcera peculiare quid contingere, quod exprimere verbis nequeunt, aliter quam in congreſſu tali extraordinarium quoddam & animi deliquio proximum in ſinu gaudium perceperint. Mihi certe hîc in memoriam redeunt verba cl. viri doctoris medici & populoſiſſimae Amſtelodamenſium urbis phyſici ſenioris Joh: RUISCHII in publica quadam praelectione prolata, aut „ nolle mulieres dicere, aut neſcire ipſas „ quomodo illis dum ex maritis conci- „ piunt contingat: Poſterius crediderim, nullusque dubito, quin ſi poſſent honeſtae etiam matronae referrent amicis ſincere quomodo ſeſe iſta haberent, niſi peculiare quid uti dixi in tali fœcũdo congreſſu, & ineffabile illis accideret, quod

ſentire

ſentire poſſunt, eloqui non poſſunt. Genuinum itaque ſemen datum eſſe mulierum corporibus nunquam negavero, cum ſecerni tenacioris quid & viſcidioris humoris eo ipſo quo reſolvuntur momento, quod & explorari, & ut ita dicam, promi quaſi poſſit, mulieres ipſae fateantur, taſſi ſint & viri quidam: quod pro ſemine illarum habendum putarem; nam lympha, cujus ſupra mentionem fecimus, eſſe non potest, utpote quae effluit in initio: quando autem artificioſa illa humani cadaveris inſectio Anatomia praeter ovula, ſic dicta, in ovariis nihil detegat, & viam, per quam probabiliter deferri ad uterum eadem poſſint, tubas ſcilicet Fallopianas, utique concludendum tandem est, haecce ovula proliferum illud foemineum ſemen conſtituere, quod excitata quocunque modo intrinſeca commotione, ſeu libidinoſa, ut ita dicam, contremiſcentia inferiorum viſcerum, vel tum ſtatim, vel paulo post ex ovario excluditur, & per has tubas ad uterum devolvitur, interdum & ulterius, transiensque orificium matricis in anterioribus ſeſe partibus prodit, ſive jam ſit illud ovulum, vel ma-

turum ſponteque ſequens, vel immaturum & excuſsum quaſi, ſive integrum ſive deſtructum, adeoque colliquamenti inſtar, disrupta ſcilicet ob teneritudinem membrana. Itaq; ut de eo jam certi ſimus, tamen de vero excluſionis ovi momento, num actu ipſo, num postea fiat, disceptant inter ſe Drelincurtius & Graafius clari ambo medici *: Itaque ut ſuperemus & hoc obſtaculum, facile concipimus contingere poſſe, ut in ſalacioribus & quam ſupra deſcripſimus voluptatem ipso congreſſu percipientibus ovulum ſecretum cum interno quodam ſenſu per oviductum devolvatur & protrudatur verſus matricem, ubi foecundatur admixtum geniturae maris. Quis enim evincet haec fieri nullo modo poſſe? Imo quidni fieri poſſet, ut hae fimbriae, quas hîc ſuis coloribus nitidiſſime delineatas aſpicitis A. H. contrahãtur circa ovaria? cum in maribus carneas ſcroti fibras corrugari, & tendinoſam teſtium membranam hanc contrahi in hoc actu conſtet. Nam functiones partium ubi nos latent in uno ſexu, tunc indagandæ ſunt

*Graaf. diſſert. de Org. Drelinc. concept. de conceptu.

ſunt ex ſimilitudine viſcerum in altero ſexu, de quorum uſu manifeſto & patente nullum dubium est. Et quemadmodum in nobis urethra per repentes quaſi & reiteratas contractiones contentum liquorem proſilire facit, ita & tenendum est ovulum excuſſum per cornua vel tubas verſus matricem premi & pelli. Cumq; nullum tempus certum congreſſus praeſcriptum homini a natura ſit ut reliquis animantibus, quoniam multiplicari humanum genus ad orbis terrarum culturam decebat, cumque in foemineis teſtibus * non aliter ac in racemo uvarum non omnes ſimul baccae perficiantur; ita contingere potest, ut affectu concitato immatura interdum ovula excutiantur, quemadmodum tempeſtas arborum immaturos fructus adeoque tenacius adhaerentes tamen dejicit conquaſſatione ramorum violentiore: & quemadmodum nuclei in talibus fructibus imperfecti ſimul & ſteriles

 ſunt,

* *Muliebre ſemen*: Kvinnans ſaed eller froe: *vel ſic dicta ovula e virginis teſte vel ovario ut plurimum piſi magnitudini reſpondentia.* A. *ova minuscula.* B. *majuscula* BIDL. *tab. 57. fig. 1. & 2.*

ſunt, nec germinant licet fertili terrae tradantur, ita & fruſtrari conceptionem neceſſe est in hac immaturitate genituraе foemineae. Et ut inhaereamus huic ſimilitudini, quemadmodũ A. H. maturi fructus gulam demulcent, acerbi & auſteri taſtidiuntur: ita probabile est amplexus inſtitutos eo praeciſe tempore, quo contingit maturum quoddam ovulum adeſſe excluſionem quaſi tentans e ſuis clauſtris, majore etiam gaudio parentes perfundere. Sed nec de eo videtur dubium eſſe, quin mater concipiat geminos & trigeminos, ubi matura ovula plura ad uterum devolvuntur; quin & oriatur ſuperfatatio interdum, ubi utero jam praegnanti ſuperaccedere maturum ovulum contingit, ibidemque foveri nec deſtrui. Et hisce quidem modis congreſſum conjugum ovi excluſio comitabitur, quod ſemper fieri debere Drelincurtius urget. Cum Graafius contra, ſentiat, non niſi post aliquot dies transactos ovulum ad matricem delabi: quod mihi perſuadeo in istis mulieribus fieri, quae ſunt temperamenti frigidioris, uti loquimur, quaeq; internum illum gaudii ſenſum non habent,

dum

dum vacant huic negotio: in quo casu aura geniturae maris penetrare debet per ipsas tubas usque ad ovaria, ovulumque proximum maturescens inficere, quod sic lentius procedens, non nisi spatio aliquot dierum interjecto ad matricem perveniet. Utque rei minus amoenae & tristi hoc ipsum comparem; eodem modo hîc natura procedit, ac videmus in quibusdam hominibus ex ingesto multo & acri vino, vel per infortunium deglutito corrosivo veneno, vomitus prompte sequi, non praevio longo fastidio, cum rursus alios, qui ventriculi pituitosa intemperie laborant, non nisi post diuturniorem nauseam tandem vomere observemus. Haec itaq; hactenus sufficienter explicata nobis videntur. Sed ut nihil praetereatur quod facere ad certitudinem rei potest, occurram objectionibus Lamii, medici Galli, qui hãc de ovulo hypothesin maxime impugnavit vulgato libello: *Contre la nouvelle Opinion, qui pretend que tous les Animaux sont engendrees dun oeuf.* Ubi praecipue meretur attentionem, quod refert de foemina, in cujus post mortem apertis visceribus tubae Fallopianae ea fuit obser-

vata concrescentia, ut ne quidem inflato äeri transitus daretur; altera tuba peritonaeo accreverat ita, ut & illa absque dilaceratione ad ovarium adduci non posset, unde patebat & ovariotum & tubarum usum, quem urgemus, in illo corpore nullo modo obtineri poruisse: interim tamen illa ipsa mulier, & antea saepius, & eodem quo obierat mortem anno, puerum pepererat, adeoque & eundem conceperat, absque ullo, ut videtur D. Lamio, ovariorum vel tubarum auxilio. Percipitis A. H. argumenti vim: nos autem observata huic Viro in dubium non trahamus; id tamen adnotemus, quod potuit hoc vitium huic mulieri facile advenisse, postea quam suum conceperat foetum: nam in illo longo tempore, quo mulier uterum gerit, & in illa viscerum distensione, quid mirum, si quid superveniat incommodi? ex quo mutari cornua Fallopiana in istam praeternaturalem constitutionem potuerunt. Certe si in muliere hac etiam antequam reddita fuisset gravida, ita comparatum cum tubis ovariisque fuisset, quomodo obsecro potuisset praegnans matrix vel distendi debito modo

vel

vel attolli in abdomen & aſcendere, absque dilaceratione hujusce peritonaeo agglutinatae tubae? Hæc itaque objectio nos non ulterius detinebit. Sed praeſentio, A. H. aliud quodam dubium hîc etiam a Vobis moveri contra ea, quae dicta a me ſunt, ſcilicet minime patere quomodo infantes referre patrum vultus poſſint, quemadmodum fieri ut plurimum videmus, ſi nempe masculo adſcribamus quidem foecundationem ovuli foeminei, non autem ullam embryonis primam materiam; ſi denique & illud aſſerimus, quod embryon in ovulo etiam ante conceptionem exiſtat, ut quibusdam medicis noſtratibus videtur. Equidem, A. H. foetus illud primum rudimentum tantum abest ut genitoris imaginem referat, ut vix homini aſſimilari poſſit, capitis mole totum ſuperante reliquum corpus, ut alia taceam, nec niſi temporis tandem longo tractu parentibus agnoſcatur: cujus ſimilitudinis adfuiſſe etiam ante quaedam occulta lineamenta non nego: ſed vos, H. A. viciſſim interrogo, * cur infantes interdũ & aliis ex familiaribus & domeſticis ſimiles naſcantur, cur pictae interdum imagini

* *Conf. Helmont. van de Mens.*

magini aut ſtatuae ſculptae; cur avorum interdum vultus referant, & attavorum, jam dudum demortuorum? Omnia haec, ut brevis ſim, fortiori debentur imaginationi matris. Cujus ſtupendis viribus deſcribendis ſi immorari jam vellem, discederem, A. longius ab argumento propoſito, ſive anatomica viscerum & mechanica functionum deſcriptione. Sed est & alia Neotericorum excogitata opinio circa ovulum hoc, & primum in eo ſtamen foetus. Nimirum docent vermiculos ſive animalcula quaedam microſcopio detegi in virili genitura, quorum numerus licet iñumerabilis ſit vel in unica liquoris guttula, ſi oculatiſſimo LEEUWENHOEKIO credimus *, tamen non requiri niſi unum volunt ad ovulũ unum impraegnandũ; degenerare autẽ & abire vermiculos in varia animalia, ** vel ex bombycis in papilionem metamorphoſi constare, ut alia infinita inſectorũ genera praeteream. Quam hypotheſin cum recentiores noſtri e Belgio reduces medici hodie receptiſſimam referant, nos eandem, licet novam

* *Epiſt. ad Soc. Angl.* ** *vid. Goedhart. & Mouffet.*

novam & miram, non ſtatim rejiciem⁹; ſed potius quasdam probabiles rationes in medium adducamus, quae hanc ſententiam credibiliorem vobis etiam, A. H. reddere poſſint. Quidni enim in difficili & philoſophica quaeſtione, qualis utique haec est, aliorum etiam ſententias & audire placide & circumſpecte ponderare liceret? Obſervamus itaque naturam a minutiſſimis ſua opera inchoare ſolere, ſaltem ſeminum primordia ubique tenerrima ſunt, jam autem hoc animalculum ovulo infinitis modis exilius, videtur illi recte includi debere, ut res mollior duriori, nobilior viliori. Praeterea cum quomodo peragatur ovi foecundatio ope geniturae maris, nondum explicari plane potuit, aliis mixturam ſeminum & imediatum contactum, aliis auram vel ſpiritum inficientem quaſi quodam contagio, aliis admixtum toti maſſae ſanguineae virile fermentum, & per omnia viſcera oberrans, ſupponentibus; ex hac utique hypotheſi res jam redditur clara & perceptibilis. Videtur inſuper exigere dignitas maſculini ſexus, ut praecipuum conferat ad procreationem ſobolis, commiſſo matri

munere,

munere, ut in ſinu foveat nutriatq; quod recepit: eodem modo ac terrae mandantur quidem grana plantarum ut germinent, ipſa interim illa vegetativa vis in ſemine haeret, terrâ ſolummodo nutrimentum, ſubminiſtrante; & objici quidem poteſt animalculum proximius ſuum alimentum ex utero ipſo capere poſſe, quam ex ovo longius diſſito: Verum AUD. H. ſimilitudine quadam hanc etiã diluam difficultatem & conficiam. Nonne enim videmus, quomodo ancillae & ſervi noſtri, ubi excitandus & ſtruendus ignis est in foco, ſcintillas ex chalybe excutiant, non in ligna dura & viridia adhuc, ſed primo in molliſſimum fomitem ex linteo combuſto, vel re ſimili paratum, ubi haeret & reſtat ſcintilla, cujus aliàs non niſi momentanea duratio est, fomitemque depaſcens augetur, donec accendatur interim ſulphuratum, dein candela, poſt aridiora lignorum ſegmenta tandemque ignis in ſtipitibus majoribus in flammam erumpat: certe eodem ingenio natura videtur hîc progredi. Nam exiliſſimum animalculum primum excipitur molli fotu maturi ovuli, ubi ſufficienter alitur,

tur, donec robore aucto per umbilicalia jam vasa nutritium succum in utero secretum excipere valeat, & sic porro. Sed ne sim vobis taedio hisce speculationibus, hanc rem mittamus, cumque universa haec hypothesis videatur indigere quadam digestione ulteriore, aliis illam excolendam lubenter relinquamus: & ad eos nos sermone nostro convertamus, qui ex ovario vel teste foemineo dextro masculos prognasci, & ex sinistro foemellas putant: talia, A. H. commenta facile excogitantur, redarguuntur autem difficile, quis enim determinabit ex quo latere ovulum fuerit primo devolutum in matricem, si ne mater quidem ipsa id liquido asserere poterit: est tamen haec opinio falsitatis convicta ex observatione quadam haud ita diu facta a celebri medico & Lithotomo Amstelodamensi Cypriano*, ubi refertur de foemina cui foetus fuit exsectus e Fallopiana tuba, ita ut aegra pristinae sanitati restitueretur: quae postea denuo concepit peperitque gemellos, sed sexus diversi, quorum rudimenta vel ovula ex uno eodemque ovario provenere procul omni dubio

*typis vulgata Ao. 1700. Amstel. 8vo.

dubio; nam alterum ex ovariis erat jam ante plane destructum. Sufficit autem indicasse auctorem, quem per otium qui volet perlegere poterit. Quomodo autem continget, AUD. H. quod foetus nascantur sexus diversi? an & hujus discrepantiæ prima rudimenta etiam in ovo nondum foecundato praeexistere dicamus? Mihi si probabilem reddere hujus rei causam licebit, proferam quam a clariss. olim Professore Medico Lugduni Batavorum Theod. CRAANEN accepimus, quotquot eo tempore hujus & singularis ingenii & acerrimi judicii Senis eramus auditores & discipuli. Assimilabat autem ille foemineos testes, testibus masculinis, uterum scroto, clitoridem coli; & docebat quomodo, si contingeret uterum extra corpus propelli, & subsequentia tum ovaria in hanc bursam quasi excipi, & carneam illam glandem, tentiginem dictam prolongari, foemina talis deberet reddi masculo per omnia simillima. Rursus inverso ordine demonstrabat, quomodo si masculo recederent testiculi intra abdomen, & subsequens scrotum cavitatem formaret intro-spectantem, &

propendens

propendens penis abbreviaretur in ſeſe, ut exilitatem anſerini calami vix ſuperaret; in viro tali omnia forent organa a muliebribus viſcerib⁹ nihil abludẽtia: hisce addebat fieri facile poſſe in illa prima membrorum delineatione, & istis momentis ubi in tenerrimo embryone conſtituenda futura viſcera ſunt, ut invaleſcente tunc inteſtina fermentatione vel propellerentur organa & maſculus embryo formaretur, vel ut eâdem illa quam dicimus fermentatione exiſtente caſu aliquo debiliore, adeoque retentis intra viſceribus, puellula maneret; Forſan, A. H. hæc joci gratia proferri a me creditis, ſed addere ego hiſce jam dictis poſſum, quod multa ſint quae arguant tardiorem puellularum intra matris alvum maturitatem, tum quoad conformationem membrorum, tum quoad partum ipſum, imo foeminam toto postea curriculo vitae debilioris ut plurimum eſſe & tenerioris naturae prae maribus omnes facile agnoſcimus. Ovulo vero maturo & ad generationem idoneo in matricem delato, claudere ſtatim ſeſe eandem quaſi præſcientia quadam ad exacte retinendum, quod receperat,

ferunt,

ferunt: quod verum quidem eſt, ſed ita tamen ut illa clausura ex mechanicis procedat causis. Transactis videlicet tribus vel quatuor poſt copulationem foecundam diebus & oborta quadam in ovulo intumeſcentia claudi osculum uteri ſenſim obſervatur. Nam osculum hoc ſive amphidaeum cum antea oblongum esſet & mucronatum ſeu acuminatum, jam distento fundo, ut retrahatur ille apex ad centrum ſuum neceſſe est, unde ſenſim anguſtari, tandemque occludi debet. Tertio itaq; vel quarto die clauſum eſſe uterum tactu explorare * obſtetrix callida potest, de qua clauſura cum ſufficienter egerim in diſſertatione hîc loci Anno 1697 impreſſa in noſtratium gratiam titulo *Obstetricis Suecanae* libro I. cap. 6. ubi orificii uterini per totum geſtationis tempus variatio & variationis cauſae deſcribuntur, jam eadem prolixius repetere non erit neceſſe; praecipue cum libellum in manu quorundam veſtrorum hîc etiam animadvertam. Id addam, quod ex hoc contactu liceat cognoſcere non illa ſolum quae praegnationem partumque ſpectant,

* *conf. Cl. Daventrius art. obſtetr. cap. 13. uſq; ad cap. 22.*

ſpectant, an mulier gravida ſit nec ne, an tempus pariendi inſtet, an genuinis corripiatur doloribus, an facilis vel difficilis ſit futurus partus & ſimilia unde quam ſit obſtetricantibus ſumme neceſſaria fundamentalis tactus cognitio facile patet. Sed erit & ejus uſus in aliis item caſibus, exempli gratia; * Obſervavi jam ſæpius mulieres laborare quodam praeternaturali tumore abdominis, ita ut inſolita quaſi maſſa ad tactum interdum dura ſentiatur, haeſitentq; medici num vel mola ſit, vel ovarii tumor, vel aliud induratum viſcus, vel carnea excreſcentia, itemque haeſitent de ejusdem genuino latibulo: tunc, ſi exploratore digito talis orificii uterini formatura percipitur, qualis eſſe in gravidis debet utique intra matricem haerebit, quidquid illud tandem ſit, ſin aliter ſeſe osculum habet, alibi erit heterogeneum illud corpus quaerendum. Oris uteri varius certe habitus eſt, tum initio gravidationis, tum ingruente partu, ubi dehiſcit, recluditur & dilatatur: initio quidem durus & ſolidior quaſi nodus ſentitur, qui poſtea urgente intus contenta mole, complanatur & molleſcit quaſi, ſive attenuatur, tandem diſtenditur ad

ambitum,

ambitum infantilis capitis, dum margo interim amplificati & complanati orificii tenuis eſt, inſtar cujusdam membranae. Non autem debetis, AUD. hanc uterinam apertionem ita veſtris repraeſentare animis, ac ſi fieret ſubito, ad ſimilitudinem inteſtinalis cujusdã in grãdiore aliquo animali, ſphincteris relaxati & ſua contenta effundentis: Nam hic ſenſim omnia procedunt. Et quemadmodum ſolet natura in ſuis operibus majoris momenti lente feſtinare, ita & per gradus ad hanc dehiſcentiam disponitur uterus, & totum geſtationis tempus in illa orificii mutatione conſumitur. Donec infans veluti maturus quidam fructus ex dehiſcente ſuo involucro, e tenebris in lucem, e clauſtris in aërem liberum proferatur. Sed redeundum nobis ad ovulum eſt. Cujus in utero mutationes, & quomodo indies augeſcendo majorem perfectionem nanciſcatur, quoq; ordine ſingulae partes perficiantur, id in Avibus, Cuniculis, aliisq; animantibus cum cura obſervatum abunde tradiderunt Harvaeus *, Graafius **, Malpigius ***, & ocularis præterea inſpectio, ſaltem in praedictis generibus facilitate obvia

* *Hiſt. Anim.* ** *de Organ.* *** *de ovo incubato.*

obvia haberi a ſtudioſis poteſt: quae cum non aliter in principe omnium animalium homine procedant, poſſumus inde doceri, quam ſint exilia, tenuia & fere abjecta omnium viventium initia; hoc autem loco, AUD. H. illa jam prolixius non recenſebuntur: ſumma tamen & praecipua non negligemus, quae inter umbilicales arteriae merito & primo numerandae ſunt. Hae poſtquam per varios gyros & tortuoſo ductu proceſſerunt, dividuntur in ramos, qui in diviſiones ulteriores & ſubdiviſiones, tandemq; capillaria vaſa abeunt; quae dum ubique impingunt in concavam ſuperficiem uteri, reflectuntur, & involvunt plane ovulum, non aliter ac in urnis anguſtioribus noſtri Hortulani obſervant arbuscularum exoticarum & fruticum radices mire intricatas & convolutas. Sanguis interim circulans per venarum exiles origines lente refluit in unum truncum, qui inde capacitate arterias duas ſimul ſumptas facile ſuperat.* Sanguifera ista vaſa una cum uracho tunica involuta vaginali funiculum conſtituunt umbilicalem, quem *Navelſtraengen*

 dicimus

* *vide figuras Hobokenii de Secundina.*

dicimus, complicatum locis variis, unde nodi in eo conſpicui, quos ſollicite numerare ſolent obſtetrices, credulisq; matribus oſtendere, tanquam indices ſubſequentium liberorum. Hae itaq; ramificationes vaſorum componunt ſubſtantiam illam ſui generis, carneamq; molem foetum ejusq; tegumenta obvolventem, non aliter ac vitellum ambiri videmus & includi ab ovi albumine: haec est, quae postea uterinam placentam vel uterinum hepar conſtituit: *Den Mutter-Kuchen*, ut Germanis dicitur, Noſtri ſimpliciter *Efterboerden* appellarunt, capitque intra breve tempus inſigne incrementum, adeo ut ſuperet anſerini ovi magnitudinem, dum interim incluſus foetulus muſcam majorem vel cariophyllum Indicum vix aequet. Talis ovi deſcriptionem habet Ruiſchius in ſuis obſervationibus *, habet & PORTALIUS, egregius in arte obſtetricia ſcriptor, in ſuarum obſervationum ultimâ, ubi delineatur figura referens ſecundinarum parenchyma per medium diſſectum, plurimis ſcatens hydatidibus, in centro gerẽs, membranaceae cavitati incluſam aquam & embryonem tenerrimum

* *cap 15. Obſerv: l. 1*

mum. Quem nos hîc criſtallino vitro & balſamico liquori innatantem, vobis exhibemus AUD: distinctioribus membris omnibus inſtructus est uti videtis, adeoque & praedictis paullo adultior. Diximus autem umbilicalia vaſa haberi merito debere pro primoformatis; id quomodo fiat jam conſideremus attentius in ſimilitudine ſequenti. Cum faba ex. gr mandatur terrae, & oboritur in eadem quaedam fermentatio, tum omnium primo radicis propellitur aculeus in circumfuſam terram, & adigitur non aliter ac culex roſtrum ſuum trudit in cutis poros, ut ſanguine repleatur. Cum autem reſiſtat terra ejus progreſſui, haeſitat radicula, dum interim faba ipſa attollitur, interdum & ſupra ſuperficiem terrae; eodem modo ac nauta procedit in cymba ſua ſtans, quam conto a littore propellit, impreſſa in ſabulum cuſpide. Prima autem haec fabae germinatio non tam debetur affluenti cuidam terrae ſucco, quam humido intra ipſam incluſo, ſicuti & maltum, ſive hordeum germinans cereviſiae confectioni deſtinatum, ex aſperſa aqua absque terrae contactu præparari videmus. Dum

hoc modo occupatur natura in radice formanda, nullus fere conſpicitur caulis, nec is prius erumpit, quam plantae haec quaſi placentula confecta, novas vires & novum robur fabae conciliaverit. Ut autem conſtet quomodo & illa procedant, ponendum est dari quiddam in confinio radicis & trunci ſeu caulis, quod cordi animalium analogon est, & comparari potest, quatenus & recipit & pellit humores circulantes; ſuccus enim germinis per radices non aliter ac quasdam umbilicales arterias delatus ad extremitates, ſorbet accipitque novum terrae ſuccum, indeque revertitur per canaliculos umbilicalibus venis non disſimiles, ad locum illum, quem cor referre dicebam; a cujus loci premente vi, novique ſucci e terra acceſſione & augetur denuo radix, & qui ſupra terram frondeſcunt ſurculi propelluntur, transeuntibus per omnia folia fibris quibusdam, tanquã arteriolis advehentibus neceſſarium nutrimentum, & aliis rurſus tamquam venis revehentibus quae ſuperflua ſunt. Quae omnia facile ſic ſeſe habere vel ex eo perſpiciemus, ſi cogitemus, quantus vel betulae vel viti ſuc-

cus

cus verno tempore insit, qui sine motu intrinseco & circulatione stagnaret brevi, situmque & acorem contrahens putresceret. Eodem autem modo res cum foetu procedit. Nam & animalia cuncta vegetativam quandam vim in se habent, hactenusq; plantis similes & nos sumus, quod non omnes aeque partes simul, sed hae quasi radices embryonis ante alias producantur; quod & observatur manifeste in abortivis ovis. Cum enim jam saepiuscule * aperuerim carneas istas moleculas abortu rejectas ante octavam septimanam vel decimam, inveni easdem referentes magnitudinem praeterpropter gallinacei ovi, e vasculorum tricis & acinorum globulis constantes, lienisque parenchymati similes, flava lympha in interiore cavo plenas, umbilicalis funiculi rudimentum quoddam mucilagineum referentes, embryonis vero nihil certi quidquam. Nec tamen dixerim hosce esse inanes conceptus, quos Gallico idiomate, *Faux Germes*, appellamus: & subventanea quasi ova, in genuinos foetus nunquam abitura: sed vel in molas, vel quos in Belgio vulgus mulierum, nescio unde, *Suy-*

gers nominare ſolent: Nam potius crediderim hanc partem exteriorẽ ovi, proximamque contactui matricis, & uti dixi, maxime neceſſariam ante omnia perfici, ut hoſpiti futuro nec dum viſibili de nutrimento proſpiciatur, ejusque teneritudini ex limpido quodam muco conflatae, hoc munimentum circumponatur, quod includendo criſtallinam aquam, cui innatat carina foetus, totum hoc a viſcerum matris compreſſione praeſervet: quâ aliàs laedi facile poſſet, ſicuti vel alvi pertinacior obſtructio non raro nocere gravidis ſolet, ut taceam alia. Arterioſus autem ille ſanguis antequam per venas revertitur ad foetum, lambit ſubtilem materni cruoris chylum ſecretum per fibroſam & glanduloſam ſubſtantiam uteri, illoque turgens ad hepar primo, post & reliqua viſcera embryonis pergit, augeturque hoc modo tota ejus ſanguinea maſſa: nec praeter hanc ullam habet cum matris ſanguine foetus communionem, preſſique * ſaepius placentarum recentium convexam partem, ut viderem num manaret ſanguis, ſed nihil animadverti praeter ſubtilem hunc quem dixi chylum: unde &

reddi ratio debet, cur ſit venoſus umbilicalis ſanguis arterioſo floridior. Et praeterea facile liquet, quam ſit craſſus cruor matris ineptus, nec ſatis ſubtilis, ut tenerrima ſtamina embryonis inde rite nutriri poſſint.* Dum in his venis arteriisque deſcribendis occupor AUD. referam caſum nuperum nobilis Puellae, qui mihi in memoriam redit;** nam attentiores vos ad ſimilia video: erat autem valetudinaria, & in ſuburbanum praediolum recreandi animi gratia receſſerat, cum ſubita paralyſi corriperetur, qua per vices alterutrum latus occupabatur cum aphonia & abalienatione mentis, convulſionibusque per intervalla diris; jamque in ſeptimum diem durabat morbus, & conſanguinei adornabant funebria, cum ſubito ad ſeſe rediens circumſtantes incipit alloqui, mente ſana paullo post & corpore. Aegram ſaepius inviſebam, cumque ſemel adſtarem lecto, tentans pulſum digitis, ſentio primum, post & animadverto oculis, venas ipſas pulſare arteriarum inſtar, easque micantes in dorſo manus mecum adſtantes mirabantur. Conjicio autem cauſam hujus vibrationis inſolitae in ſu-

* *conf. Alb: M. & ſequaces ejus.* ** peri-

periorem alicubi venarum truncum interiore ſpasmo conſtrictum, unde liberior ſanguinis refluxus ad cor impediebatur, indeque regurgitans purpureus latex ad ſingulos arteriarum pulſus venas jam attollebat & vibrabat. In hepatis vero portarum venis ramisque earum talem undulationem ſemper fieri, plurimi aſſerunt. Videtur autem hic umbilicalis venoſus ſanguis praeter chylum, foetui in nutrimentum concedentem, aliud quiddam e matris viſceribus itidem adferre vivificans & aëri a nobis inſpirato analogum: quod vel probatur ab umbilicali funiculo in partu compreſſo: ubi enim a vicinis viſceribus & partibus ſolidis usque eo arctatur, ut contingere facile potest, cum vel praevius propendensque, aëris ex frigore obrigescit, vel premitur a corporis quadam parte ſimul prodeunte, vel circumvolvitur collo, brachiis, cruribus, vel alio latente modo & occulto impedimento ſanguinis per eum motus ſufflaminatur, idque antequam reſpirarit hauſeritque infans aërem per pulmones, praeſentismum is periculum incurrit ſuffocationis, fatisque cedit, latente circumſtan-

tibus

tibus causa, nisi prompto illi auxilio subveniatur: Idque jam animadverti* saepius in Agrippis seu infantibus pedibus praeviis prodeuntibus, praecipue cum haesitantes cunctantesque obstetrices non sine gravi peccato sensim lenteque prodire sic versum infantem permittũt. Idemque observare licet in illo difficili partu, ubi praevia umbilicalis vena prodit, conjuncta infantis capiti vel alio item corporis membro, unde & invaluit Germanicarum mulierum proverbium: *Die Schnur geboren, das Kind verloren.* In hoc casu pedes infantis investigandi sunt, matureque versus, sic extrahendus est, sollerterq; prospiciendum est, ut quamprimum nascatur, alioquin nascetur quidem sed mortuus. Cujus rei tristes casus saepius stupens vidi, antequam mihi, succurrendi ratio sic laboranti infanti innotuisset. Est itaq; tanta necessitas circulantis per umbilicalem funiculum sanguinis, ut cum longas aliàs in transitu moras nectat infans, capiteque haesitet vel ultra spatium triginta horarum, tamen tandem vivus edatur in lucem, praeter omnium spem, vel cum natus & respirans infans absque alimento vel

per

per viginti quatuor horas duret, hujus tamen preſſuram funiculi, antequam reſpiraverit, non niſi cum periculo vitae, vel breviſſimo tempore ferat. Referam quod contigit hisce diebus * celebri inter noſtrates obſtetrici, *Johannae Hoffmannae*, ut cum facili partu excluſum ſanum robuſtumque puerulum ſinu excepiſſet, ſubito is ipſe post aliquot ſuſpiria moreretur. Inopinum caſum latentemque cauſam mirata, postquam puerperam ſuo repoſuiſſet lecto, attentius ad ſecundinas reſpexit, animadvertitque in funiculi fere medio nodum ita affabre adſtrictum, ac ſi fuiſſet manu compoſitus. Cum id retuliſſet mihi, hanc ſubito exſpirantis foetus cauſam dixi. Potest enim contingere, ut ipſa partus hora, convolutum interius circa orificium uteri hac ratione AUD. in ſpirae modum funiculum, transeat foetus vel capite, & tunc circa collum ejus convolutio ista haerens obſervabitur, vel humeris & corpore toto, in quo caſu neceſſe est ſtringi nectiq; intra uteri cavitatem relictum funiculum, & quo arctius procedente foetu colligitur ille nodus, eo praeſentius ob vaſa preſſa periculum incur-

* *Ao. 1708. menſe Junio Stockholmiae.*

rit

rit foetus. Ubi vero circulatio dicta sanguinis non sistitur, foetus utcunque plurima patiatur, vitalis tamen manebit. Quidnam autem praecise vivificans illud sit, quod a matre foetui communicatur, id aliis otio abundantibus discutiendum relinquo; nam theoreteticis disceptationibus detinere vos, AUD. H. hoc loco nolo. Certe ni foetus aëreas particulas a matre acciperet, nullas habebit; nam aquis submersus plane est omni tempore illo, quo intra uterum degit: & notabilis est Senis HIPPOCRATIS de hac re sententia libro de octimestri partu: *umbilico*, inquit, *pueris spiritus & alimenti datur ingressus.* Sed sunt, uti dixi, cognitu quaedam Practicis magis necessaria. Placenta itaque eo loco primum utero agglutinatur, ubi umbilicales arteriae in ramos dividuntur, qui subsequentibus mensibus gestationis majores quidem redduntur & capaciores, sed in novos ramulos ulteriorescq; crispaturas non abeunt. Nam postquam moles tota jam adaequaverit anserini ovi fere magnitudinem, ab omni quidem parte tunc utero illud ipsum amplectenti adhaeret: sed cum lympha, quae continetur

tinetur intus, crescat indies, necesse est, ut membrana eandem ambiens, magis magisque distendatur; nam sequax & ductilis est; vasorum vero & ramificationum congeries non augentur numero, nec fiunt plures: itaque ista moles segregatur ab invicem praecise in eo loco, ubi coëunt vasorum capillarium extremitates, quod quidem ab ipso funiculi trunco, adeoq; placentae quasi centro, remotissimum est. Hoc itaq; modo quod ante referebat globum, jam vere refert placentam quandam * in sartagine frixam, crassam, rotundamq; modicam tamen. Generaturque in utero non aliter atque ex inflato vitri globo, pedem scyphi vitrei planum in officinis vitriariis formari videmus. Adeoque illa ipsa moles carnea, quae initio gravidationis uteri latera undique contingebat, subsequentibus mensibus partem solummodo internae cavitatis occupat, & quod reliquum est matricis parietum, id investitur a tenui membrana, quae lympham foetumque includit, cujus tenuitas firmatur ab uteri crassitie, quemadmodum in Nobilium vestimentis videmus, sericum panniculo pretioso subditum, firmitate

* *Daventr. cap. 12. art. obstetr.*

firmitate panniculi praemuniri, ut non facile ſcindatur. Et quoniam inſuper ductilis est haec membrana, hinc facile distenditur, prout illa creſcunt & augentur quae intus ſunt, id autem placentae non accidit, uti jam diximus. Membranae itaque ex hoc globo, quem anſerino aſſimilavimus ovo, detectio ſeu propullulatio fit non aliter ac videmus glandem quercinam ex calice ſeu cupula prominere & protuberare. Vel eodem modo ſeſe habet ac ſi veſicam hanc bubulam vento vacuam, manuque comprehenſam pugno includerem, postea vero tubo eandem inflarem, quid tum fieret? digiti quidem ſejungerentur ab invicem ob turgeſcentem veſicam, ſed maneret interim ipſa vola manus immota a veſicae eo latere, quod proxime attingebat. Si jam contingat, AUD. illam membranae propullulationem fieri prope fundum uteri, tunc neceſſe est, ut ipſa placenta, quam calici glandis aſſimilabamus, haereat in ea regione uteri, quae fundo obvertitur, hoc est, circa orificium, vel in ejus confinio. In quo caſu magnum postea imminet matri etiam vitae periculum: quod quomodo

accidat

accidat referam. Appropinquante ſcilicet partus tempore, uteri os ſenſim aperit ſeſe & dehiſcit, uti jam oſtendetur, adeoq; placenta huic affixa loco ut distrahatur tunc & dilaceretur neceſſe est: unde improviſa & infauſta haemorrhagia continget, ita pertinax, ut intra breve ſpatium animam aegra cum cruore reddat, niſi artificioſa & dexterrima manus opera deliberetur a foetu uterus. Et offendet tum obſtetrix ſtatim placentam obturantem & occludentem vel orificium uteri, vel ejus quandam partem, quem caſum prolixius deſcripſimus libro II. capite 28. in *Obſtetrice* noſtra *Suecana*. Itaque non aſſentior iis, qui placentam ſemper habere ſuam in fundo uteri ſedem fidenter aſſerunt: nam ubique adhaerere & omnibus ejus lateribus potest, quod & *Drelincurtius* tradit in ſuo quem nominavimus tractatu, & *Portalius* item refert in ſuis obſervationibus *: narratque ſe ſua manu extremisque digitis placentam circa orificium haerentem illinc ſeparaſſe & divulſiſſe. Sed & praeterea, ſi conſideremus gemellos adeſſe poſſe, duplicemque

* *Obſ.* 2. 39. 41. 51. 69. 79.

que, quod ſaepiſſime fit, placentam poſſidere; vel ſi ſupponamus ſuperfoetationem contingere, ubi neceſſario ſecunda debet adeſſe placenta, utramque autem in fundo tunc haerere non poſſibile est. Nam una harum ſaltem erit ad latus locata. Dicebam, AUD. H. gemellos ut plurimum duplici placenta inſtrui. Interdum enim accidit, dum eorum umbilicalia vaſa in principio in eandem feruntur & tendunt quaſi plagam, ut confundantur ſimul & intricentur, unamque ſic atque communem referant placentam primo intuitu; duplici tamen præditam funiculo, uti facile percipitis; ſed & praetera membranae ipſæ intergerino pariete, ab invicem discrepantur: gemelli vero & ſi vel plures adeſſent, ſeparatis includuntur membranis & aquis propriis innatant. Sed ut ulterius quædem addam de ſitu placentæ; Experientiſſima obſtetrix & vulgato libello: *Der Brandeburgiſchen Hebamme* celebris JUSTINA SIGISMUNDI; in privatis ad me literis reſponſoriis circa quaedam illi propoſita dubiola, aſſerit, cum millibus aliquot parientibus praebuiſſet auxiliatrices manus, ſemper tamen

men, modo non haemorrhagia adfuerit, placentam reperisse sese in uteri fundo. Quam sententiam hujus egregiae foeminae medicae, ut cum antedictis conciliem, proferam, AUD. ostendamque, quomodo reperiatur placenta in uteri fundo, etiam eo casu quo fuerat reipsa ejus sedes in alterutro uteri latere. Uterus in gravidis assimilari potest sacco ex aluta confecto. Est tamen crassior eo in loco, quo placenta adnascitur, & augetur illa ipsa crassities ex adglutinata placenta. Jam vero, foetu excluso, collabitur uterus & corrugatur: est autem in illo collapsu, latus uteri oppositum placentae tenuius adeoq; aptius, uti apparet, formandis plicaturis, altero crassiore minus apto existente ad corrugationem, unde etiam obvolvi necessario debet orificio & obverri, hinc & manui obstetricantis necesse est ut occurrat & objiciatur: non aliter ac si esset in fundo. Idque simili fere modo ac si quis lateri hujus pilei adnecteret ferream lamellam, post autem conaretur, hunc in modum, totum comprimere, videtis quomodo necessario illa pars cui adhaeret lamella, tandem

dem convertetur & obvertetur pilei orificio. Sed ad alia AUD. HON. transeamus. Foetus in utero positura sic vulgo describitur, ut capite quidem prono sedeat, & intra genua inclinato, spectet tamen uteri fundum: hic vero diaphragma matris, dorso foetus respiciente dorsum matris, podice perinaeum. Intueamur autem in hoc muliebri sceleto, ossa quae pelvim dictam constituunt, in qua pelvi & uterum posuit natura, & per quam transeundum in partu infantibus est; Consideremus autem hoc sacrum os dictum, quomodo id retrorsum incurvetur, ita ut hujus pelvis superior pars, nempe ejus margo ad anteriora inclinatus, lineam diagonalem cum horizontali describat, matre stante erecta, inferior autem pars pelvis posteriora respiciat, ex quo sequitur uterum, dum supra pelvim ascendit, suo fundo non posse obverti diaphragmati matris; sed potius ad anteriora debeat & hypogastrium versus inclinare. Cui accedit, quod rotunda ligamenta uteri affigantur ossibus pubis; adeoq; impedimento sint perpendiculari ascensui matricis. Foetus ita-

que, quamvis tangat uteri fundum vertice ſuo, reſpectu tamen corporis matris recta inſistentis ſuis pedibus, capite omnino pronior est, quam vulgo creditur. Quod inſuper experimur, dum acuminatum iſtum globum renitentem & durum, circa regionem umbilicalem ſaepe & infra umbilicum in praegnantibus mulieribus admota manu ſentimus, adeoque dorſum infantis, matre ſtante, horizontalem fere obtinet poſituram. Certe cum anno * praeterlapſo in ſuburbano *Danawicenſi Noſocomio* aperuimus gravidae cadaver, vidimus circumſtantes ſemeſtrem foetum plane talem in utero obtinentem ſitum, qualem nunc deſcripſimus. Nam defunctorum corporum apertiones in hisce ut & aliis medicorum disceptationibus practicis praecipuum lumen largiuntur. Itaque, ubi foetus ad illud tempus pervenit, quo organa ac partes ſolidae perficiuntur, tum incipit ſeſe commovere, extenditq; modo pedem, modo brachium, moxque retrahit in priſtinum ſitum: id medium geſtationis tempus vulgo audit, foetumque tunc primum vitalem factum muliercularum ſermo est. *at fo-*

* *ſtred*

ſtret kwicknar. Quoniam autem lymphâ distenduntur membranae & inſuper glabrae ſunt, & foetus in prono ſitu, & caput mole magnum & grave pondere est: utique non mirum, ſi ſua ſponte id petat inferiora, podice interim ob calcitrationem jugem ſenſim ſurſum elevato. adeoque in aquarum ſufficiente copia, & alio nullo accedente impedimento, neceſſe est foetum contingere capite ſuo orificium uteri: id dicunt obſtetrices foetum eſſe converſum ad partum: *ett wael waendt foſter.* non dubitantes, quin ſi caput praevium ori uteri objaceat, facilis ſit partus ſequuturus; dumque explorant gravidas, ſentiunt non obscure per intermediam ſubſtantiam uteri renitentem globum, ſcilicet praecipitatum foetus caput. Cujus inverſionis non poſſum determinare certum tempus: plerumque quidem fit circa noni menſis initium. Interdum aliquot ante partum ſeptimanis duabus, tribus, quatuor, vel quinque: interdum & paucis ante partum horis. Incipit autem ineunte nono menſe matricis orificium tenue ſenſim fieri, eo modo quo id ſupra explicuimus, & usque eo de-

hiſcere, ut tangi jam involucra foetus ab obſtetrice poſſint: qua re animadverſa inſtare partum & tempus enitendi praedicit: eumque ultra quindecim dies aut ſummum tres ſeptimanas non procraſtinari. Eadem haec uteri dehiſcentia viam laxat aquis quibusdam, ſenſim in utero collectis, non tamen intra membranas foetus, nec in omnibus praegnãtibus: guttatim deſtillant, ſed & interdum affatim effundi illas obſervavi *, cum terrore & metu matris, tamen absque detrimento infantis; nam hujus genuinae aquae non niſi in partu effluunt, ruptis per dolores membranis. Partus quidem, AUD. H. jam deſcribendus inſtat, ſed licebitne veſtra venia quaedam de geſtationis termino interſerere? Alia quidem animantia conſtitutum ſibi a natura certum terminum habent: matribus noſtris incertus est: Equa conſumit annum in ſuo pullo ferendo; Vacca quadraginta ſeptimanas, adeoque propius accedit ad humanum morem. Canes, felesq; uterum gerunt novem ſeptimanis: Cuniculi triginta diebus, Gallinae Anatesq; ſuis incubant ovis ſeptimanis tribus, ut taceam bruta alia: homo an-

* ticipat

ticipat interdum, interdum retardat partus horam natalemque diem. Nam ut nihil jam dicam de ſeptimeſtri partu vel octimeſtri, utpote immaturis: etiam in foetu maturo non ubique obtinent novem iſti menſes calendarii, ſive ſeptimanae quadraginta, quam recepimus vulgo pro termino fixo humanae geſtationis. Licuit, contigitque mihi obſervare * quorundam infantum & conceptionis diem & nativitatis, quae ſi vobis, AUD. retulero, gratiam veſtram initurum me ſpero. Exempli gratia: dies amplexus fuit vigeſimus quartus dies Februarii, partus pueruli fuit vigeſimus primus dies Novembris: ſunt triginta octo ſeptimanae cum diebus quatuor. item: mater facta ſeptimo Januarii, natum ſuum peperit ſecundo Octobris: ſunt ſeptimanae triginta octo cum diebus duobus. item: congreſſus foecundus fuit celebratus vigeſimo octavo Februarii, masculus foetus est excluſus vigeſimo octavo Novembris; exacte hic numerus implet triginta novem dies dominicales. item: concepit uxor octavo Septembris, peperit filium tertio Junii, ſunt ſeptimanae triginta octo cum die-

bus duobus. item: virum se praestitit maritus decimo Januarii, puellam enixa est nupta trigesimo Octobris, uterum itaque gessit hebdomadas unam & quadraginta, diesque sex. item: maritus suo functus est officio die decimo tertio Januarii, mater peperit filiolam vigesimo secundo Octobris, est tempus quadraginta septimanarum & dierum duorum. Possum, AUD. referre plures observationes similes, de quarum certitudine non dubito; sed haecce sufficiant, ad ostendendum & discrepantes esse terminos, & puellas ad partum paullo tardius maturescere, promptius autem puerulos. Nam priores transeunt quadraginta septimanas, posteriores non attingũt. Sed & hoc notandum, quod matres ipsae perceptibilius & evidentius certae sint de conceptione ubi masculos foetus, quam quidem ubi puellas utero gerunt: nam ita incertas tum observavi, ut haeserint ipsae, num fuerint factae gravidae, vel non: adeoque de conceptionis die puellarum calculum quidem inire possum ex probabilibus circumstantiis; sed de puerulis res firmior est. Praeterea & illud concludi hinc potest, quod

licet

licet aliqui referant, mulieres quasdam ad undecimum, vel usque ad duodecimum mensem gestasse suos foetus vivos legitimosque; id debeat tamen nobis esse suspectum, & inter rarissime contingentia numerari, si modo contigit unquam. Loquor de foetu vivo; nam demortuos embryones restitare intra matris viscera diu posse, etiam ultra biennium observatum a Medicis est, & foeminam novi * incolam huj⁹ urbis, quae decimo octavo demum mense mortuum foetum enixa est: aliamq;, ** quae per aliquot menses mortuum foetum in utero retinens, tandem eundem peperit, sed quod mirabamur, minime putridum. Rejecimus causam in eam, cui innatabat foetus, lympham, muriae instar, praeservantem contenta; sed & hoc rarius continget, ut plurimum enim cadaverosus concomitans foetor plenariam corruptionem abunde docet: Equidem communia illa impraegnationis signa valde incerta sunt: nam appetitus prostratus, & malacia, & vomitus; & turgescentia mammarum, & papillarum dolor, & mensium cessatio, & ipsa intumescentia ventris, non praegnantibus,

* ** imo &

imo & virginibus, contingere possunt, unde mulieres conceptionis incertae illiusque sciendi cupidae recurrunt ad explorationem illam, quam tactu obstetrices peragunt. Novi tamen matres, quae ab ultimo menstruae purificationis die, septimanas quadraginta & unam, cum diebus quinq;, vel ut ipsae loquuntur, quater septuaginta cum additis duodecim diebus numerantes, non falli sese in suo calculo putant. Et memini a me observatum jam bis, nuptas hoc modo calculum ponentes, praecise quinto isto die, partus correptas doloribus peperisse insequente, sed puellas. Agamus jam de partu & ejus veram investigemus causam. Prima opinio est eorum, qui angustiam loci causam ejus esse putant: quod tamen experientiae non plane congruit; nam abdominis distensio in foeminis discrepat, etiam in una eademque muliere non aeque turget venter in una gravidatione, ac in altera, gracilior aliàs, aliàs distentior, & tamen idem tempus implet gestationis. Alii itaq; auctores huic causae adjunxerunt calcitrationem infantis aperientis sic membranas quibus includitur. *Drelincurtius*,

quem ſupra nominavi, cauſam partus inexſpectatam propoſuit, meconii abundantiam in inteſtinis foetus. Quod quidem meconium papaveris quendam ſuccum proprie ſignificat; hîc loci vero craſſiora illa, picea & ex nigro vireſcentia contenta alvina intelliguntur, quae dum formabatur & per os nutriebatur in utero foetus, ſenſim genita ſunt, auctaque tandem eo usque, ut ob inteſtina repleta anxius infans calcitret, adeoque haec prima ſic partus cauſa exſiſtat. Idque ex eo probat idem auctor, quod in infantum ſtatim a partu demortuorum cadaveribus diſſectis reperierit inteſtina meconio hoc plena, omninoque distenta. Quae quidem cum ingenio & probabilitate dici lubens agnosco; tamen cum videam iisdem parturientium ſymptomatibus abortum expelli, quibus editur in lucem maturus infans, ſive fuerit ille abortus ſemeſtris, vel ſeptimeſtris, vel octimeſtris, ubi ista intestinorum distentio a meconio nondum tanta copia collecto, locum non habet: ſive etiam fuerit ante partum demortuus nonimeſtris, ubi illa praetenſa anxietas & calcitratio adeſſe nequeunt: utique inde concludi

recte

recte potest, infantis calcitrationem, causam partus genuinam non esse. Est tamen haec plurimorum opinio, & *Hildanus* * Vir in chirurgicis exercitatissimus, & centuriis observationum scriptis clarus, refert de matre in partu demortua, ubi infans & transversim positus & funiculo umbilicali varie illigatus, uteri insuper corpus sinistro pede ruperat laceraveratque. & *Guillomeus* Medicus Gallus ** observatum a se bis in dissectis cadaveribus tradit, eosq; nominat qui adfuerant, ubi foetus fuit repertus in abdominis cavo aquis & sanguini innatans matrice rupta: ad hasce objectiones, AUD. H. respondebo, ubi enarravero prius & plane descripsero, quomodo partus procedat. Omnem hîc difficultatem & totum hoc negotium similitudine quadam interpretabor, Nemo credo nostrûm est, AUD. cui non semel saltem in vita vomere contigit, sive assumpto ad ventriculi tollendam intemperiem e Pharmacopolio medicamento, sive epoto in honorem & sanitatem amici e vinaria cella generosioris Bacchi poculo:

* *Cent. 4. Obs. 57. it. Cent. 1. Obs. 67.*

** *des Accouchements lib. 2. cap. 13.*

poculo: Equidem partus utcunq; peragatur cum periculo vitae noſtrarum matrum, tamen ſi majora licet comparare cum minoribus, huic certe praeternaturali cõmotioni in plurimis convenire animadvertetur: dispiciamus circumſtantias: primo percipit vomituriẽs nauſeam quandam, ſive plenus ventriculus fuerit, ſive vacuus. Est autem illa nauſea nihil aliud quam tremulus quidam motus in ipſis fibris ventriculi, quae fibrae carneae contrahuntur per intervalla & relaxantur rurſus, tamen ſine majore violentia: hinc interdum illud faſtidium nauſeoſum diutius durat. Simile quid utero contingit: nam aliquot ante partum dies interdum, ſenſim ſeſe contrahens id efficit, quod appellamus dolorem minacem, & dolorem inanem, de quo paullo post agamus prolixius. Dein obſervamus, quod ubi nauſea jam in vomitum abit, angatur inſigniter aeger, ut ſudores etiam prorumpant. Obſervare id ipſum potuit, qui unquam adfuit parienti mulieri, quanta cum anxietate & corporis modo tremore modo ſudatione aegra ipſa de loco in locum, de lecto in lectum ſeſe transferat, praeſentiatque

ſentiatq; appropinquantem jam & brevi ſubſecuturum partum. Tandem veluti in vomitu ventriculus violenter ſeſe per intervalla contrahit, & aegroto licet reluctante & invito expellit contenta, conſpirantibus quidem in eum finem abdominis muſculis, qui tamen ordinarii vomitus effectores non ſunt; nam illis ſolis compreſſione ſua agentibus, & nulla praeexiſtente nauſea nemo ſibi facile vomitum concitabit: ita & eodemque modo obſcurior ille & adhuc occultior fibrarum uteri motus, jam fit convulſivus, ſaepiusq; ingruens uterum in fundo contrahit ad contentorum expulſionem, ſecundinarum ſcilicet foetum in ſe aquasque continentium. Hi ſunt genuini illi dolores, quorum ope uteri orificium perceptibiliter magis magisq; relaxatur & aperitur, membranaeque aquâ distẽtae veſicam bovinam urinariam referentes propelluntur & extruduntur: idque matre plane invita, quemadmodum dicebamus de vomitu. Nam ad partum ita adiguntur interdum matres, rebus omnibus rite ſeſe habentibus, infante uteroque bene ſito & locato, orificio ſatis ample aperto, tenui, molliq;,

ut

ut loco plane inidoneo, & tempore inopportuno pariant. Quemadmodum observatum fuit, quomodo aliquando infans ex alvo matris in terram praeceps ceciderit: item alibi notatum, quod parturiens cum latrinam petiisset, infantem ibidem subito excluserit. Haec autem uteri validior & potens contractio trahit in consensum robustos musculos abdominis: qui tamen primario partum non movent: nec praegnans solo illorum nisu foetum excludet: quamquam non negem, quin posset forsan contingere, ut violento motu horum musculorum, qualis esse in vociferationibus intentioribus solet, vel in illo nixu, qui obstructam valde alvum comitatur, injuriam sibi ipsi inferret mater, abortusque causa esset, sed non subsequentis nisi aliquot post dies. Neque mirum debet cuidam vestrûm videri, si musculi abdominis, qui sunt aliàs in nostro arbitrio, invitis jam nobis, ab utero trahantur vel ventriculo in opem & consensum. Nam & idem quid accidit in longe leviori commotione, sternutatione scilicet & tussi: cum tamen minus appareat communicatio inter inflatum naribus

tabaci

tabaci pulverem, vel delapſam in bronchia micam panis & abdominis musculos, quam quae inter eosdem musculos est & uterum. Praeterea repetamus illud memoria, quomodo labia contremiſcere ſoleant, & genae in inſtante jam vomitu. Obſervare autem & huic contremiſcentiae ſimile quid licet obſtetrici in exterioribus illis partibus genitalium mulieris viſcerum, manuque ſua praeſentire adventantem dolorem potest, etiam prius quam puerpera ipſa: Et quemadmodum excitare poſſumus vomitum immiſſo digito gulae, ita & obſtetrices ſollicitare uterum immiſſo itidem digito, & ſic irritare partus dolores poſſunt: quod & interdum fit praeter illarum voluntatem, ubi ſcilicet invertendus in utero male verſus foetus est, nam exacerbati & reiterati dolores non ceſſant niſi inde retracta manu. Adeoq; & hinc reddi cauſa debet, cur doloribus acerbiſſimis & vehementer deprimentibus afficiantur matres, haerente jam foetu, mole ſui capitis in ipſis anguſtiis viarum: nam eo momento quam maxime uterum, ut gulam diximus intruſo digito, irritari ad contractionem ſui neceſſe est.

imo,

imo, ut rectius dicam, praesentissimum incurrunt ruptionis periculum distensissimae tunc fibrae. Insuper notemus ventriculo licet evacuato tamen non cessare statim vomitus, sed sequi violentos simul & inanes vomendi conatus, ut etiam inde usque ex intestinis expressa tandem bilis rejiciatur: sic & in puerpera dantur dolores post partum; *efterwaerkar* dicimus, qui conatus excluso jam foetu aliquamdiu durant. Hoc itaq; modo, AUD. H. vidimus comparationem & convenientiam vomitus ventriculi cum laboribus matricis, parum discrepantem, nisi in eo, quod convulsiones ventriculi non sint eo usq; dolorifici, ac quidem uterini, nec contentorum tantae compressiones: posteaquam sic Creatori visum, ut & supplicium hoc cum primaeva matre foeminae ferrent, & nos simul omnes, qui producimur, hoc & vitae, & quod magis est, male nascendi periculum subiremus. Uteri certe fibrae extra tonum quasi extensae & distractae proximae sunt ruptioni, id autem sine doloris vivido sensu fieri minime potest. Hinc communiter atroces & maximos ferunt dolores parturientes antequam aquae ef-

fluxerunt,

fluxerunt, post durant quidem dolores longius & persistunt & enitentes magis sunt, sed tamen minus esse eos excruciantes, ex matrum querimoniis & lamentationibus cessantibus colligitur. Collabente autem parumper utero & sublata aliquantisper illa praeternaturali ejus distensione immensa, fibrae motrices jam se contrahunt dolore quidem minore, sed conatu majore & vi. Quam autem sit longe vehementior matricis, quam quidem ventriculi, constrictio, docent abunde, quas supra attulimus, *Guillomei* & *Hildani* observationes, quibus ad rupturam usq; suae membranae circa durum acutumque os pedis infantilis contrahere sese uterum posse ostenditur. Sed & hanc uteri sese stringentis vim experiuntur obstetricantes, quando manum cum brachii anteriore parte intra reclusa jam viscera inserentes invertendi foetus causa, ubi id necessitas exigit, adeo usque comprimentem sentiũt invalescentibus doloribus, ut ligamento quodam ligari se putent, reddaturque brachium torpidum & stupens, & quamdiu durat illa uterina convulsio, nil quidquam agere possunt, imo retrahere in-

terdum

terdum coguntur manum, quod illam preſſuram nequeant perferre diutius. De diverſitate dolorum, eorumq; variis nominibus quaedam hîc quaſi interſeram AUD. Nam ut reliqua fere omnia, quae huc usque recenſita ſunt, doctrinae dicuntur gratia; ita haec ſequentia obſtetricibus obſervanda erunt, praecipue ut ne foeminas juvenes prima vice praegnantes, vel inſtantis partus metu terreant, vel, quod pejus est, exhibitis intempestive remediis partum praecipitent. Prima itaque ſpecies dolorum illa est, quae quaſi praeludium quoddam eſſet, dici noſtris uxoribus ſolet *ſmâ-knâp* & *ref;* tremulos uteri motus diceres & minaces dolores. Gravidae iis ſolent per aliquot interdum ſeptimanas vexari, ſed absque incommodo notabili, obambulantes interim & peragentes ſua domeſtica negotia. Ita tamen hi conatus ſenſim contrahunt uterum, ut in ultimis diebus geſtationis ſenſibiliter gracileſcat abdomen & aliquantulum extenuetur. Quando autem invaleſcit haec contractura uteri & intenditur, ſequuntur dolores dicti vagi, *oſtadige wærkar*, *ſmâ wærkar*, item dolores transverſales, *kors-*

værkar, videntur que hi vagi dolores gravidae per totum abdomen oberrare; & medicus minus peritus illos facile confunderet cum torminosa colica: uterum quidem totum occupant, sed non aequaliter ab omni parte simul, eodemque momento, uti similiter contingere in aliarum convulsionum initiis videmus, spiritibus influentibus modo in hos musculos, modo in alios. Neq; est uterus aeque sensibilis ab omni parte; unde fit, quod aegra videatur sibi sentire dolores circumvagos, iisque transversim quasi affligi. Dum autem hi dolores ab omni jam parte invadunt uterum, etiam ejus orificium constringunt, quod tamen doloribus remittentibus & visceribus relaxatis, ad pristinam redit conniventiam: hinc est, quod obstetricibus tum videatur matrix occludi potius, quam reserari: unde & hi dolores tergiversantes dicuntur, spuriiq; cum genuinis mixti; nostrates matronae appellant *bedrægliga vværkar*; suntque iidem, qui vulgo audiunt cruciantes, *svede-værkar*, quia matres incassum excruciant, & absque effectu optato, vires interim illarum consumentes, quod nocivum est, augentq;

hanc

hanc noxam ineptae obſtetrices, dum ubent parturientes, ut omnibus viribus connitantur: cum potius deberent mitigari hi dolores vagi, quod advocatus tempeſtive Medicus exhibito narcotico efficiet, eo loco, quo empiricae mulierculae pellentibus remediis concitant egras. Idem notat *DAVENTRIUS* in uo *Obſtetricantium Lumine* dicto, egregio opere & diu deſiderato ob famam ſui auctoris in hac re longe experientiſſimi. Solent autem hi ſpurii dolores remittere interdum ad dies aliquot, imo & ſeptimanas, redeuntibus ad conſuetas occupationes culinarias & curas domus mulieribus. Id noſtris dicitur *Wærkarna lâ fôre.* Ubi vero hi dolores inſiſtunt, neceſſe est, ut ſecundinarum illa veſica rctetur quantum fieri potest, tandem & extra orificium adigatur, quod ob fatam ante aperturam minime huic exiuſioni obſtare jam potest. Contractiva aec vis & facultas motricium fibrarum ugetur tunc & duplicatur in fundo ueri, ex quo ſequitur ulterior orificii ecluſio, quod dum fieri nequit ſine uadam violentia, ſentiuntur dolores am tamquam ad vicina inguina deſcen-

dere, illaque dilacerare. Unde & vocantur lancinantes dolores, *under ât eller neder ât ſkiutande vværkar*, acerbi & vehementer deprimentes dolores, qua dolorum ſeu laborum ſpecie urgente, incipit jam puerperium: ſuntque hi ipſi qui totum negotium abſolvunt, eoque reſpectu dolores veri nominantur, & genuini, & urgentes: *rætta ſanna och ſanskyldiga kaſt- koſt- eller kryſtvværkar*. Et ante partum hae quidem laborum ſpecies obſervantur attendentibus. Post partum vero dolores, qui invadunt, excluſo jam modo nato infante, cum vacuus collabitur uterus & contrahitur, occluditurque & corrugatur, noſtratibus *eftervværkar* dicuntur. Hae autem jam recenſitae & enumeratae ſpecies non ſemper AUD. & ubique adſunt, ſed adſunt plures paucioresque, quo mater ipſa parit vel facilius, vel difficilius. Contingit autem interdum, ut hi partus dolores ſeu convulſiones uteri communicentur in morboſo valde ſtatu tot nervoſo generi, idq; in primiparis frequentius, utpote nondum aſſuetis puerperio; adeo ut quoties invadunt partus dolores, corpus jam univerſum exagi-

ètur convulſionibus, quos dolores ca-
ut petentes dicunt: *Wærkerna ſtâ i huf-
udet, eller ſtiga ât hufvudet.* In quo triſti
aſu niſi quamprimum contingat ma-
rem a foetu liberari, vel niſu ſuo, vel dex-
eritate obſtetricis, (modo detur aditus)
erte conclamatum est: quemadmodum
îc loci haud ita pridem contigit.* Uxor
ivis ſartoris viginti annorum primipa-
a, transacto termino gravidationis, be-
eque valens, media nocte ſubito cor-
ipitur partus doloribus, mox abeunti-
us in convulſiones diras, cum oris ſpu-
na, abolitione loquelae & omnium fere
enſuum, advocabar, praeſcribo ſelecta
emedia, remittebant quidem parum-
er convulſiones, non tamen ita, ut ad
e rediret aegra: hora ſexta matutina
ncepit eſſe in agone: viſum fuit e re,
t accerſeretur *H: Dahmius* Danavicen-
s Noſocomii tum temporis Chirurgus,
t ſi matrem mori contingeret, aperire-
ur venter defunctae, ſervandi foetus
ratia, cujus motum conſanguinei &
ircumſtantes omnes percipiebamus:
ora octava defunctam jam matrem eſſe
mnibus conſtabat: aperitur abdomen
k uterus in latere dextro tribus trans-

versis digitis a linea alba, foetusque festinanter exemptus traditur obstetrici ut ante focum refocillaretur, si fieri posset, sed frustranei fuere conat⁹, nam erat modo mortu⁹. Perscrutabar interim ego hac occasione accuratius viscera defunctae, & adnotabam quae sequuntur: Uterus suo loco inclinabat versus hypochondrium dextrum, referebatque magnitudinem ingentis vesicae urinariae bovinae inflatae, eratque figura talis ac expressit, quem supra nominavimus, *DAVENTRIUS* in Capite de *utero praegnantium*. Vulnerato cultello utero exsiliebant aquae ad altitudinem ulnae fere, eratque illa omnis trium librarum medicarum, colore ex flavo virescente, qualis esse aqua solet cui lactucae incoquuntur & similes herbae culinares. Ipsa matricis substantia, quo loco adhaerebat placenta, crassa erat duos digitos transversos, in reliquis locis dimidio digito tenuior. Videbaturq; nobis ejus substantia esse quaedam textura ex infinitis sanguiferis vasis & glandulis exilibus: foetus suo vertice orificium uteri, dorso hypogastrium matris albamq; lineam, podice vero, ejus umbilicum: ita ut stan-

te matre erecta, foetus in dorſum fere projectus eſſet, adeoque ad partum bene converſus. Placenta adnata erat uteri non fundo, ſed ſiniſtro lateri, ejusque inferior margo connexa erat in orificii confinio, ſuperior fundum attingebat. Eademq; placenta ab utero adeo ſeparabatur facile, ac quis linteum duplicatum madidum ab invicem ſejungeret. Fallopianae tubae quartam ulnae partem longitudine aequabant, & craſſitie pennam cygneam: venarum uteri maxima capacitas erat, quae vel digitum minimum admitteret. Teſtes foeminei ſive ovaria nonnihil majora ac in non gravidis: hisce ſic perſpectis viſcera conſuebantur, repoſitumque decenter cadaver est, quae hîc omnia retuli prolixius, ut quae ſuperius de placentae ſitu & ſimilibus tradidi, confirmarem. Illa itaque quae aquis foetuque distenta haeret in matrice veſica, ad ſingulos dolores infarcitur, magis magisque orificio, quod eo ipſo recludit, panditque ſic viam infanti ſubſequenti, & ubi contingit parumper remitti dolores, tum ſentitur haec veſica flaccida & mollis; ita ut proxima foetus membra tactu discerni poſſint,

ſint, cum vero uterus rurſus in fundo ſe contrahit ad ulteriorem expreſſionem, propendensque veſica ita distenditur, ut jam jam videatur ruptura. Non aliter ac videtis AUD. hanc bovinam urinariam veſicam, non plene inflatam collo ſurſum verſo, jam a me ſuperius ſtringi manibus, ita ut in fundo inde distendatur; remittente vero preſſione mea, quae ante inferius turgida erat veſica, jam flaccida fit & minus renitens. Urgentibus autem pertinaciter doloribus, propellitur quidem ductilis & ſequax membrana aliquo usq;: Cum vero integra, eo quidem modo ac gallina ova ſua parit, pertransire anguſtam dictae vaginae viam nequeat, neceſſe est ut tandem rumpatur & diſſiliat, quod promtius fit ubi tenuis membrana est, ubi v. firmior est partus certe reddi inde difficilis potest, manu autem obſtetricis tunc divellitur, quo ipſo aperitur aquis via, cum impetu effluentibus, quibus ſic effuſis, uteroque ſeſe arcte contrahente circa foetum, non aliter contingere potest, quam ut permaneat infans in quo tum deprehenditur ſitu, qui ſi pravus fuerit, ſola obſtetricis callida manu immutabitur.

Commota

Commota vero matrix, non contenta ſui oneris partem abjeciſſe, pergit in conatu ſuo, non aliter ac ſi decretoria pugna, ubi aut vincendum aut occumbendum illi eſſet, cum adverſario decertaret, & elapſis quidem aquis in armiſtitium quoddam conſentit non in pacem, ſenſimque ſe denuo ſtringens ut immorantem inhaerentemque projiciat, ſumma ope nititur: quod interdum fit facili negotio: aquis & vias glabras reddentibus & infantem ſimul proluentib⁹. Quo autem foetus pertransire poſſit anguſtum hoc oſtium capite ſuo amplo & craſſo, comprimitur id ipſum caput & arctatur, dum parietalia, quae hîc in infantili ſceleto videtis cranii oſſa frontale & occipitale ſibi invicem cedunt, utpote circa ſuturas membranoſa, ita ut uno ſubeunte, ſuperponatur alterum: unde fit quod capilloſa cutis complicata referat molem quandam carneam, obſtetricesque ſuperſtitioſas decipiat, dum ſibi perſuadent, monſtroſum quoddam infantis caput, excreſcentia carnea deturpatum ante portas eſſe. Verum edito jam in lucem puerulo, cerebrum, quod jugiter commovetur, repellit oſſa mol-

liuscula

liuscula in priorem ſitum, evaneſcitque omnis metus, & ſi vel eſſet caput infantis formae paululum oblongioris, tamen & illud contrectando ſenſim refingitur. Divina certe providentia fieri, agnoſcendum est, AUD., ut infantilis vertex mollior exiſtat & membranoſus: nam alioquin ſi ex uno continuo oſſe cranium tum conſtaret, quî fieri poſſet ut infans unquam capite præſertim præditus paullo majore naſceretur. Nam quod oſſa pubis maternae dehiscant in partu, uti ſibi perſuadent quidam, id ego nunquam obſervare potui, neque apparet, quomodo oſſa haecce matris duriſſima, quae conſolidata dudum obriguere, uti videtis in hoc ſceleto, cedere poſſint infantilis capitis mollibus tabulatis, & ita inſuper mobilibus, ut complicari & coarctari quaſi poſſint. Id interim nemo non animadvertit quomodo debeat excluſio capitis cauſſa eſſe atrocis cruciatus & doloris ſummi, in primiparis inprimis: ubi enim caput infantis eo usque pervenit, ut jam incipiat distendere externam oram genitalium viſcerum, aegra ſaepiuscule conqueritur & exclamat ſe laniari unguibus

bus obſtetricis: cum illa interim quieta ſedens & exſpectans nil quidquam agat, & ne quidem extremo digito contingat parturientem. Nimirum iſto momento, cum ejulatu & vociferatione primiparae fit ruptura ſive dilaceratio naviculae dictae; *le dechirement de la Fourchette* *: quod quidem interdum adeo perceptibiliter accidit, ac ſi panni quaedam lacinia digitis lente disrumperetur. Hinc Germanis dicitur *wan zum erſten die Mutter bricht*; quaſi vi perfringeretut. ** Est autem haec pars, duplicata quaedam pellicula cum interpoſita foveola transverſim ſita in perinaei ſuprema parte inter exitus & aperturas genitalium viſcerum & recti inteſtini. Cujus adeo disruptionis veſtigium cum obliterari nullo tempore queat, inter certiſſima ſigna ponendum est foeminam peperiſſe. De qua re quam neceſſe ſit ut conſtet interdum, vel ex hac narratione patebit: Contigit in hac urbe ante aliquod tempus A: H. ut e rure ancilla captiva adduceretur ſiſtenda ſupremo Dicaſterio Regio, confitebatur de ſe ipſa adigique

* *vid. Mauriceau.* ** Exod. 13:2. פטר *pater.* *Pateri* Lap. *Peuteren* Teut. *Petarder* Gall.

adigiq; ſe conſcientiae ſtimulis ut id faceret, ſimulabat,* quod ſcil: a conſervo juvene compreſſa illegitimum peperiſſet infantem, natumque trucidaſſet, adjuta ad id, uti dicebat,, a matre & ſorore concubini, inque eo ſermone conſtans, ut ſibi mori liceret poſtulabat. Negabant mater & ſoror ſeſe conſcias tanti ſceleris fuiſſe, imo negabant eam unquam peperiſſe. Juſſit Judex ut inſpiceretur corpus reae, cui negotio cum duobus Chirurgis & primaria urbis Obſtetrice & ego intereram. Sublata in menſam muliere, abdomen integrum ſulcis rugisque plane deſtitutum deprehenſum fuit, dein luſtrantibus inferiora nymphas quidem cum quatuor ſororibus defloratas, ſed hanc, quam dixi naviculam, nondum naufragium feciſſe animadvertimus. Retulimus itaq; Judici ream nunquam peperiſſe: quo teſtimonio turbata illa, confeſſa tandem est, ſeſe commentam omnia, quae dixerat, percitam odio ita implacabili, ut fuiſſet parata ad ſubeundam mortem, modo caperet ultionem a mulierculis, quae obſtiterant, quo minus eam in uxorem duceret juvenis, quocum conſueverat.

* *Ao. 1700. Karin Engelbrechts dotter.* Hoc

Hoc itaq; modo detectus tunc dolus est: cum verum infanticidium fuiſſet expiandum effuſo trium horum mortalium ſanguine, ultore gladio. Sed illuc regredior unde diverteram. Contingit, AUD. idque non raro, ut umbilicalis funiculus circa collum infantis convolvatur, qui, ubi revolvi facile potest, periculum non infert: per circumvolutiones vero plures abbreviato funiculo, deſcendentis infantis impeditur ulterior progreſſus: capiteque & collo excluſo, cum nec replicari jam & revolvi funiculus queat ob brevitatem, nec obſtetrices ſtatim pervideant, quâ commode via revolvatur funis, tunc haeſiſſe illis aquam, & quo ſe verterent in iſtis anguſtiis neſciviſſe eas, interdum obſervavi. Interim verſatur infans in praeſentiſſimo periculo ſuffocationis: nam ejus pectore & abdomine, a matris viſceribus, quibus adhuc inhaeret, omni vi contenta enitentibus, compreſſis, reſpirare nequit, & ſanguinis per funiculum motus intercipitur, a preſſione dorſi & humerorum contra materna pubis oſſa, quibus jam interponitur. Quaeritur itaq; quid conſilii in tali caſu, Dico nihil impedire,

pedire, quin liceat obſtetrici funiculum intrepide incidere: ita tamen ut ex adſtantibus una ſic teneat eundem ambabus manibus, ut intermedio loco reſecetur, eoque peracto retineat tamen uti coeperat utramque extremitatem manu utraq; idq; firmiter: donec obſtetrix infante extracto juſtam injecerit funiculo ligaturam, aliàs arterioſus infantis ſanguis ante rite confectam ligaturam per vaſa jam patula perderetur. Alteram autem partem reſecti funiculi umbilicalis, quae matris viſcera ſpectat, in eum finem retineat, ut non retrahatur in uterum, & ut obſtetrix eo quaſi ductore ad placentam penetrare manu ſua poſſit, ſi eſſet id neceſse. Vel ipſa obſtetrix ſine adjumento alterius funiculum longiori filo liget, eundemque abſcindat infra ligaturam, extremitate illa quae verſus infantem est compreſſa inter digitos; donec peracto partu, umbilicum debita munire ligatura poſſit. Abſcindi autem funiculos poſſe ſine periculo, nos docent noſtrae rurales obſtetrices, quae in hoc caſu jam recenſito non cunctanter id facere ſolent: nam accelerato partu reſpirans jam aërem & novam exordiens

quaſi

quasi vitam infans funiculo non indiget. Natum jam vero foetum A.H. mortuum vel vivum placenta dicta sequitur cum membranis, sub uno communi secundinarum nomine, uti notum est. Aquarum autem membrana non uno eodemque in loco rumpitur: sed ubi tenuissima est, vel ubi major illi vis infertur; hinc quando contingit eam in alterutro latere diffindi, foetumque huic fissurae non occurrere capite suo, necesse est ut secum portionem quandam auferat istius membranae, & nascatur galeatus. In quo casu multam prosperitatem designari infanti in hac vita credulis matribus assidentes mulierculae facile persuadent. Ego omnia evenire prospera DEum colentibus credo, adversa vero spernentibus; & ut expedit parentes spem bonam habere de liberis procreatis, ita terrere alios quasi infeliciter natos, quod non tecto, sed nudo vertice in hanc lucem primum venerint, minime decet. Praeterea autem contingere, licet id rarius fiat, potest, ut foetu existente tenello, & aqua pauca, tota haecce una cum contentis vesica integraque expellatur, ubi eximi e membranis in-

cisis

cisis foetum necesse est. Sed non haec illa sectio caesarea est, de qua num detur, disceptare inter se auctores nostri solent. Nobis autem alia hîc sese offert ventilandam quaestio, quae mulierculas contradicentes in duas quasi partes dividit exercetque. Utrum nempe corpus puerperae statim ab excluso foetu circumdari cingulo debeat, nec ne? Est autem hoc cingulum nihil aliud quam domesticum mantile contortum leviter, quo stringitur arcte satis puerpera circum hypochondria: rationem hanc adferunt, matricem evacuatam sic suo loco posse detineri quietam: quae vero tali cingulo non esse opus contendunt, suam itidem crepant experientiam. Observamus certe puerperas interdum, foetu jam excluso, salvas hacten⁹ & integras, subito tamen extingui absque ulla mortis manifesta causa. Observamus itidem ligatas puerperas cingulo tali, de quo loquimur, si laxari easdem contingat, incurrere in periculum suffocationis, cingulo denuo constricto redire ad sese rursum. Hinc nos judicamus hanc ligaturam esse perneceſſariam, non tam ob eam causam, quam urgent foeminae,

ut

ut uterus ſic retineatur immobilis: ſed ob negotium reſpirationis, quod cum reciproca diaphragmatis agitatione peragatur & muſculorum abdominis, fieri facile potest, ut distendente hactenus foetu una cum ſecundis excreto, collabantur illi ſubito, flaccidiq; redditi ammittant ſuum tonum: nec compellant viſcera verſus diaphragma, unde & illud quaſi convulſum manet, interrumpiturq; ſic reſpiratio, hoc est ſuffocatur aegra. Simile quid huic in asthmate convulſivo dicto contingit, quod eo certius deſcribere poſſum, cum ipſe in me fuerim hunc morbum expertus: extra paroxiſmum attollitur & deprimitur abdomen placide reſpirante aegro. In paroxiſmo vero abdomen interquieſcit: ſoloque pectoris motu tum peragitur reſpiratio, quae cum non ſatis faciat ſanguineae maſſae, oritur tum illa inquietudo asthmaticorum & anxietas. Praeterea referam hîc quod mihi familiariter retulit Chirurgi inter noſtrates experientiſſimi uxor, * mulier Belgica, ſe nimirum cum est puerpera, quod illi non raro contingit, angi ſolere inter dormiendum cum gemitu, quaſi jaceret in agone, ſed obſer-

vante tale quiddam muliere cuſtode, ſtatim cingulum relaxatum eſſe conjecturare, idque celeriter tum conſtringere, & ſic efficere ut ad ſeſe redeat aegra: idem & aliis obſervatum ſcio. Est itaq; hujus obligationis hic uſus praecipuus fructusque: non obſtante huic regulae generali, quod interdum ſed rarius una mulier occurrat vel altera, quae ferre talem conſtrictionem nequeat. Uti * foeminam in hac urbe nobilem novi, cui praeterquam quod ſine ſuffocationis periculo nullas in puerperio vel hyſterica paſſione ejusmodi ligaturas vel cingula ferat, ſed plane ſoluta valeat melius: inſuper in medicaminibus, quae praeſcribuntur a Medicis, non admittat ſolumodo fortia odorifera, ſed & expetat ambram moſchumq;, qualia tamen averſari aliae mulieres ſolent: Nos interim ex iis, quae fiunt communiter, artis regulas formamus. Oſtenſum itaque tandem est, AUD. H. & per longas ambages demonſtratum, quomodo e maternis clauſtris prodeat non ulla ſua ope, ſed protrudatur plane nixu & labore parturientis, in hanc auram lucemque infans. Cui tamen adſertioni meae videor mihi au-

dire voces contrarias eorum, qui mortuos foetus multo difficilius excludi quam vivos, urgent; & præterea *HARVÆI* obſervationem miram * de muliere mortua filium pariente, plane theſin hanc noſtram evertere concludunt. De quibus ſingulatim dicam. Si foetus, inquiunt, nihil adferret & adlaboraret ipſe ad ſuum exitum ex alvo materna, quî fieret ut mater, labore longe majore, eventu multo magis periculoſo & ambiguo, foetum vita functum pariat quam viventem? Reſpondeo: iſtius difficilis partus cauſam eſſe vel inconvenientem ſitum infantis, vel viarum inſuperabilem anguſtiam, unde utrumque ſequitur & difficultas partus & infantis interitus, & mors itidem non raro matris. Sic itaque diſtinguendum cum opponentium gratia hîc est: obitus infantis non auget labores matris, nam recte ſi converſus fuerit, eum æque facile ac vivum enititur: quod obſervatum a me in praxi, idque jam ſaepius, affirmare poſſum. Cum vero foetus ante partum demortuus devolvatur, ut ita dicam, lapidis inſtar de uno latere in alterum, utique non facile contingere potest, ut ad

exitum rite convertatur: qui vero in ipſo jam partu perit infans, vel perit propterea, quod utero oblique, hoc est, prorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum ſito, difficilis partus reddatur, vel quod infans ipſe in utero licet recte locato tamen non bene verſus ſit, ſed pravam obtineat poſituram, * vel quod pelvis nimis anguſta & parva reſpectu habito ad reliquum corpus ſit, qualis ut plurimum, ſed tamen non ſemper, in puſillis foeminis obſervatur, adeoque ob transitus anguſtiam caput foetus usque adeo & exceſſive comprimatur, & quod videre interdum mihi licuit, ita in longitudinem craſſioris cujusdam farciminis inſtar extenuetur, ut deſtructa cerebri oeconomia fatis cedat infans. Mirum itaq; hoc modo nulli videbitur, ſi a mortuo foetu utplurimum liberetur difficilius mater, quam quidem a vivente. *HARVÆI* vero Cl. Viri obſervatio, quae Londini Anglorum contigit, ſic ab Auctore ** refertur: *Mulier quaedam apud nos, compertum narro, ſub veſperam mortua in conclavi ſola relicta eſt. Mane autem ſequenti inter femora ejus repertus eſt infans, qui proprio niſu exitum ſibi procura-*

* *Conſer. Daventr.* ** verat.

verat. Ultima verba ex ſuo addidit Auctor, nam disputamus jam de eo: facti hiſtoria in dubium a me non trahitur. Cum & ego a Medicis mihi notis obſervatum partum talem ſciam, & quibusdam e vobis AUD. ſaltem e rumore publico non ignotus erit, qui in hac urbe ante annum contigit caſus *, cum Paupercula mulier gemellis gravida post partum prioris mortua, alterum interim ſubſequente die eniteretur. Nec dubito quin aeſtivis temporibus tale quid contingat ſaepius, quamquam non obſervetur ab conſanguineis & amicis, utpote feſtinantibus in includenda loculo demortua, calida illa tempeſtate in hisce regionibus aeque ac alibi minus commoda exiſtente ad ſervandos diutius in domibus defunctos. *HARVÆI* autem prænominatus foetus abſq; dubio mortuus fuit, aut ſaltem matri mortuae non potuit diu ſuperſtes eſſe: ad partum item fuit rite converſus, propulſus autem & excluſus ab ipſis vaporibus & aquis putridis fermentantibus abdominis & contentorum viſcerum. Quemadmodum & domeſtica obſervatione non raro animadvertere licet fermentantem recen-

tem cerevisiam fundum ipsius dolii, quo continetur, excutere: vel quemadmodum in tractatione aegrotantium videmus, hydropicorum aquas subito intumescere, interdum & post mortem expelli. Maneat itaque certum exploratumque, quod matri omnia debeat foetus, ejusq; sola ope, & ex causis mechanice agentibus, excludatur. Quo tamen referendum etiam est, cum per manuariam operationem perficitur partus, & vi ac quadam necessaria crudelitate, in eo casu infelici, ubi infans sive vivus sive mortuus, matris servandae gratia, tanquam mortuus, ut inquit ille, tractandus est, cum nulla alia pateat via.* Verum, AUD. haecce tristia omittere forsan praestat in hac oratione mea, & quemadmodum peritos Poëtas in suis Scenis facere videmus, subtrahere quae amoena minime sunt oculis spectantium. Unum tamen non reticeam, quod huc maxime facit, & super quo anxii inter se Medici disceptare valde solent, nimirum de certo & pathognomico signo foetus jam intra matris viscera exspirantis. Quando enim, ut me explicem, infantile caput exempli gratia a

* *Vid. Daventr.*

laboribus

laboribus coactum, ita in vaginam descendit, ut axillas ad ossa pelvim constituentia adhaerere contingat, & expediri jam nullo modo possint, sed pereundum sit matri una cum suo foetu, nisi extrahatur is instrumentis: id quidem peragendum tunc est, cum in mora periculum sit, intumescentibus continuo partibus & evanescentibus sensim viribus afflictissimae matri: Deniq; & foetu ipso putrilagine sua tandem accendente viscera illa, quibus adhuc sicuti illaesus ita & innoxius inhabitaverat. Verum in eo difficultas haeret, quod incipiant jam inter se disceptare circumstantes, cum adhibendae manus laboranti matri sunt: numne infans mortuus sit, vel etiam num forsan vivat? Unde autem obsecro de eo certus eris? an signum tibi sumes a commotione foetus? certe immobilis est, compressissimis a continuis matris doloribus, omnibus ejus membris: an a pulsu arteriarum ejus? nullas hîc tangere licet, parva enim pars est infantilis verticis quae tactui patet: an a putredine cadaverosi foetus? illa autem non nisi postea supervenit, nec adest initio. Nam cum epidermis a

cute

cute foetus ita separatur facile ac pyro cocto corium detrahitur, est quidem tunc vere mortuus, sed & id esse potuit per dies duos vel tres. An itaque in matre ipsa investigabis hujus rei signa, qualia quidem plurima recensentur in scriptis nostrorum Auctorum: sed innituntur illa omnia tetris dictis vaporibus foetus jam plane corrupti. Eo autem usque procrastinata operatio & supervacanea est aegrotanti & spectantium calumniis medicum exponit, cujus sic opera facilius quam alia mercede persolvitur. Certe cum per literas etiam de hac re agerem cum Brandeburgensi illa, quam nominavi superius, obstetrice, quasdam quidem suas conjecturas, sed positive nihil reposuit. Referam itaque signum quoddam animadversum tandem a me, quod vos, qui artem amatis obstetriciam salutarem certe mortalibus, non vilipendetis scio. Est autem id certi cujusdam humoris, viscosae consistentiae, coloris subviridis, nauseosi foetoris e locis muliebribus effluxus, quo apparente mortuum jam foetum esse docemur, nec tunc ulterius impediendum (uti factum interdum scio) auxilium, quod laboranti

boranti puerperae manuaria operatio promittit. Experientissima inter nostrates, & ob praestitam primum Luneburgi, post & in hac metropolitana urbe, inde retro ab anno 1682, familiis illustribus fidelem frequentemq; operam clara obstetrix, CATHARINA WENTIN, nuper fatis functa 63 aetatis anno, cum qua ego ad laborantes puerperas & invisere solebam lubenter, & disceptabam saepiuscule, sed amice, & non nisi de iis, quae ad artem spectant; dicere autem illa in hoc casu solebat: *Modren tar på flyta.* Eo significare volens parturientem jam incipere versari in periculo pereundi una cum suo incluso foetu. Ego vero non dubito, quin ex relaxatis faucibus, & intestinis morientis jam infantis, hic profluat & exprimatur succus, (sicuti huic quid simile in adultis animam efflantibus contingere solet) qui succus ab admixto meconio plus minus tinctus, linteo quod adhibere obstetrices solent, maculam imprimit, talis, uti dixi, coloris. Contigit hîc loci AUD. in nobili puerpera, * ut posteaquam hoc observassem signum, & petiissem ut eximere mihi liceret foetum,

ſervandae matris cauſa, cunctatione circumſtantium & contradicentium res differretur ad plures horas; cumq; tandem aperirem cranium foetui, cadaveroſo omnia foetore implebantur, materq; animam reddidit paullo postea quam fuerat finita operatio. Advocabar & nuperrime ad puerperam laborantem; viſo itidem hoc ſigno ſtatim inſtituiſſem operationem; ſed cum eſſent robuſtae adhuc matris vires, cunctabar per quatuor horas, ne linguis laederer adſtantium: exſumtum tandem cerebrum infantile foetore ſuo nares omnium feriebat, mater vero jam alterum in Charontis cymba pedem habens, extracta ſic orci faucibus, convaluit, vigetque valetque. ** Sed his miſſis revertamur AUD. Benevoli & Honoratiſſimi, ad infantem, quem excluſum jam partu, unaque cum ſuis ſecundinis editum ſuperius reliquimus. Conſideremus autem quid illi contingere in eo ſtatu poſſit? reſpiraret ille ſine dubio ambientem licet inſolitum aërem: ſanguis autem placentae coaleſceret paulatim, idemque fieret per totam longitudinem funiculi, unde putreſcens pars quinto vel ſexto die ſepararetur, ſpon-

teque decideret prope abdomen, & quidem eo praecise loco, ubi viva illa caro & sensilis conjungitur cum insensili: umbilicalis enim funiculus omni sensu caret indolensque est: apparet & itidem circulus ille notabili colore & substantia insignis, pollicis circiter latitudine ab ipso abdomine remotus. Qui quidem circulus propius postea ad abdomen accedit, crescente sensibiliter nato primis istis diebus, ut abscondi videatur funiculus & intra abdomen delapsus separari. Quoniam autem putrescens placenta suo frigido madore & foetore insupernatum laederet, hinc nos non exspectamus spontaneam decidentiam, sed filo quadruplici cerato trium transversorum digitorum ab abdomine distantia, hunc in modum funiculum ligamus, & relicto duorum digitorum supra ligaturam spatio detruncamus forfice, & una cum secundinis tradimus igni. Haec autem ligatura non est causa decidentiae & separationis umbilici, ut vulgo putant: unde & sollicitae mulieres jubent, ut ne relicta inter ventrem pueruli & ligaturam funiculi longitudo sit curta nimis; quasi quidquam decederet inde in adul-

ta postmodum aetate, & detraheretur masculino ejus robori. Nam quocunque tandem in loco ligetur funiculus, tamen non separatur nisi in praedicto, unde & in delapsis & arescentibus funiculis, filum, quo colligebatur, medio conspicitur loco: separatio interim fit ibi, ubi vena & arteria intra corpus infantile divaricantur. Hîc videtis AUD. truncum, quem exsiccatum in Museo asservo, concavum in sua extremitate, arteriasque observatis in hac inferiore latere, quod versus hypogastrium fuit, in opposito vero latere vena est. Supra ligaturam placentam versus, vasa tria apparent, arteriae duae & vena una: id autem sic contingit: Venosus ex placenta redux sanguis venam supra ligaturam guttis solum sanguineis notat: is autem qui fluit infra ligaturam, defluit ad cor infantis, suumque canalem prope ligaturam relinquit vacuum, unde & ejus vestigium evanescit: arteriosus interim e corde infantis adfluens sanguis, continuis ictibus injectam ligaturam pulsat & quasi quandam remoram oppugnat: sed distendit solum propria vasa, & tandem coagulatur, hinc arterias infra ligaturam

con-

conſpicuas cernitis, mereturq; admirationem, quod arteriae vivaciter pulſantes, tamen intra quatuor vel quinq; dierum ſpatium, adeoque brevi tempore conſolidentur & occludantur. Posteaquam itaque formatus umbilicus est, & funiculus jam decidit, obligari locus debet ſpleniis & faſciis umbilicalibus, per ſeptimanas ſex circiter, donec obducatur cicatrix & occalleſcat: ne forte clamore & ejulatu pueruli exomphalos excreſcat, hoc est, umbilicalis hernia. In quo caſu ſolent matres excandeſcentes invehere in obſtetricum imperitiam & incuriam, quaſi injeciſſent ligaturam funiculo remote nimis ab abdomine: ſed faciunt id immerito. Nam ista prominentia oritur potius neglectu mulieris nutricis, quae umbilicales faſcias, *Nafvelbanden*, ut loquimur, praemature omittit: unde umbilico protuberandi conceditur occaſio. Referebam AUD. noſtrates hîc mulieres ſolere ſecundinas igne cremare: quem morem num laudare debeam valde dubito: nam & infantili ſanguine turgidae, & conſpurcatae cruore materno, poſſunt forsan per ſympathiae quandam vim, dum comburuntur, utrique

matri

matri natoque tormina excitare; quibus etiam in primis illis diebus communiter vexantur: itaque illa ipsa sepeliri praestaret & in terra abscondi, quod in aliis regni oppidis observari etiam percepi. Sed restat, AUD. H. praecipuus nodus, qui tandem, utcunque eum dissimulemus, enodandus tamen est. Nempe quî fiat, quod praegnans hactenus sana, bene valens, incolumis, ex improviso corripiatur doloribus partus, mitioribus primo quidem, post acrioribus, atrocissimis tandem, qui arte nulla nec remediis tolli possunt vel compesci, sed pertinaciter durant, donec vel pariat aegra, vel oneri succumbens moriatur: vel, ut brevius dicam: quidnam sit id quod irritet ac sollicitet uterum parientis ad robustas & violentas illas contractiones, & quaenam tandem prima & vera sit causa partus? Nam distensionem illam nimiam uteri rejecimus, quae diversa est in diversis, cum partus causa una esse debeat & communis. Rem conabor, ut feci saepiuscule, similitudine explanare: Nemo nostrum est, AUD. H. qui maturos arborum fructus, poma pyraque, in hortis non viderit decidere. Cur au-

tem

tem cadunt? quia matura ſunt, recte quisquis es reſpondes: nam maturitate illa ſolvuntur. Pyrum exempli cauſa, ſuo ramo firmiter adhaeret, donec maturescat plane, caditq́ in terram, ut putreſcente ibidem externa carne maturi interiores nuclei ſuis ſeſe clauſtris extricent, qui a vento & pluvia utcunque terrae immixti denuo germinare incipiunt; manifeſte nobis hac ratione propagationis ſpeciei implantatae inanimatis etiam rebus ideam repraeſentantes. Inhaereamus autem ulterius huic conſiderationi, & notemus quomodo dum pyrum creſcit, vel fructus quis alius, nam res eodem redit, convenienti cum arbore, adeoq́ & amica fruatur confermentatione, & uno agitetur aethere & ſpiritu. Sed postquam jam maturuit, aliud quiddam ſpirat, & nova tunc oritur & a priori diverſa fermentatio. Quod erat antea viride jam fit flavum, quod antea erat auſterum jam fit dulce, quod erat durum fit molle, qui albicabant nuclei nigri fiunt, ipſe ille omnia ambiens aër inde novo odore fragrat, & inſolito impletur halitu. Haec autem ſuperveniens fermentatio nova, AUD. nil aliud est, quam

ad

ad imminentem & ſubſecuturam corruptionem, hoc eſt, ad mortem, cui omnia creſcunt & parantur, quaedam praedispoſitio; adeoq; intermedius ſtatus vigentis fructus & computreſcentis. Hortulanum admonens, non amplius indigere nutrimento alieno nucleos; ſed aptos jam redditos, qui marte proprio ſubeant germinationem novam. Interim haec in fructu fermentatio inſolita nec conveniens illo motui inteſtino ſuccorum, qui feruntur per fibras arboris, adeoque & hoſtilis & morboſa quaſi, dum occurrit nutritio liquori in petiolo fructus, reſiſtit ejus affluxui, qui ſtagnat inde in extremitate ramuli, aceſcitque & erodere ac incidere incipit tubulos fibrasque pedunculi fructus, qui inde, ut & ex denegato affluxu neceſſarii aliàs nutrimenti marceſſit & fit aridus: hinc facile contingit, ut firmiter antea adhaerens pyrum ventorumq; impetui obſiſtens, jam ſponte cadat vel agitatione ramorum modica. Si quis AUD. H. velit oculis attentius aſpicere hoc pedamentum pyri, animadvertet quendam quaſi orbiculum circa extremitatem qua arbori adhaeſerat: certe

pla-

placentulam quandam refert. Nam, si quis in horto vellet ita fulcire arboris quendam ramum, ut pondere suo pyrum cadere non posset, observabit hanc dictam placentulam sensim a suo trunco tamen separari. Observabit & alia quae huc trahi possunt: quomodo scilicet fructus laedantur injuria aëris & frigore, vel insectorum aculeis vulnerentur, vel quomodo procellosis ventis illis vis inferatur, unde nova inducitur pyro fermentatio & enecatur quasi, ut cadat etiã immaturum. Idem & in aliis fructibus considerare juvat pruno videlicet vel juglande nuce; cujus caro dum adhuc adhæret arbori finditur, ut exitus concedatur maturo nucleo, qui in telluris gremio aliam postea orditur vitam, dum nuces quae restitabant in ramis computrescunt. Applicemus haec omnia parturienti matri, & incipiamus a foetu ipso tanquam nucleo. Ejus posteaquam perfecta membra sunt, & organa nutritionis ac universae oeconomiae reliquae fungi incipiunt suo officio partim, partim apta & instructa satis sunt ut fungantur, adeoque viscera omnia uti recentiores quidam auctores medici lo-

qui amant, sua adipiscuntur insita fermenta: tunc necesse est, ut inde oriatur nova quaedam & alia, a priori quasi-fermentatio. Qui intestinus humorum omnium motus communicatur itidem placentae, unde & ejus nutritio succo, affluenti a matre quaedam lenis turbatio accidit, & inde in minimis fibris tubulosis stagnatio, usque ut acres hinc redditi humores incidant stamina placentae, illaque sensim incipiat ex eo separari ab utero, cui antea firmiter adhaerebat: fere ac in sphacelo emortua caro secernitur â viva: & praeterea hi humores acres uterum tandem ipsum, non aliter ac assumptum emeticum remedium, vel ingestum acre vinum ventriculum solet, stimulant ad suas contractiones. Foetus itaque maturitas & inde nata placentae incipiens putrescentia, vera nobis est partus caussa prima. Placentam certe in mulierum praegnantium cadaveribus, interdum, hoc est in immaturo foetu, difficilius paulo ab utero abstrahi, interdum facillimè sequi eam dum trahitur observavi dudum saepiusque. Adeoque partum secundina statim sequeretur, nisi a rugis & pli-

cis

cis collabentis & compressae matricis impediretur in eo. Observavi tamen, & nuperrime * secundinam sponte sua, ex matris alvo in terram prolabentem, dum erat obstetrix occupata in deligando funiculo recens nati. Et si qui erunt, AUD. H. qui secundinam utero adglutinatam firmius a sese inventam dicant, non tamen id per omnem ejus substantiam observatum fuisse, sed in ejus solumodo quadam parte certus sum. Imo ubi procrastinatur partus, secundinas subsequentes notavi foetidas plane & fere putrefactas, eo praecipue loco, quo ab utero primum separari inceperunt: animadverti & ipsum umbilicalem funiculum corruptum ut mirarer infantem rebus sic positis sanitate frui potuisse. Et praeterea foetus aeque, ac diximus de pruno vel pyro, immaturus interdum dejicitur, scilicet per abortum. Cujus omnes causæ novam, & inimicam, hoc est aliam & diversam a priore humorum fibrarumque agitationem introducunt tenello corpori foetus, ejusq; secundinis. Sic moestitia & terror & excandescentia sangvinem maternum turbant & succum postea qui

foetui debetur: & matris in terram inopinus prolapſus & alta vociferatio, & ob aſtrictam alvum compreſſiones, tenerrima foetus vaſa rumpunt, eumque adeo enecant. Ut taceam occultiora obſtacula & ſingularem in quibusdam dispoſitionem uteri abortus frequenter ſine manifeſta cauſa, producentem: ut & praeteream quas alias abortus cauſas longa ſerie auctores medici enumerant. Rurſus quemadmodum decerpti fructus & temperato loco ſervati ſponte maturescunt, ita & praematuro partu editi ſeptimeſtres & octimeſtres infantes possunt eſſe vitales& ſuperſtites, modo organa dicata nutritioni ſe rite habeant; & ſtudioſe ſerventur a matribus & nutricibus. Ut adeo cum antiquis quibusdam auctoribus omnes partus octimeſtres ad mortem condemnare non neceſſe ſit. Haec itaque hactenus de vera partus cauſa & arborei fructus cum humano foetu ſimilitudine dicenda habui. Partus autem exantlato labore reſtat adhuc puerperae locchiorum fluxus, qui nutritii illius ſucci in uterinis vaſis ſtagnantis ſtillatio quaedam est. Hae aquae quoniam ſunt corruptae,

facile

facile concitant ſymptomata graviſſima, ubi obſtruuntur, haeſitantque diutius. Nam ſuo vapore putrido inficiunt, hoc eſt turbant ſangvinem & febrem inducunt & deliria & anxietates, & quae ſunt reliqua mala, ſtudioſe praevenienda, ab advocato tempeſtive medico, ne aegram intra breve tempus conficiant. Eſſe autem morborum, quae puerperis accidunt praecipuam cauſam, corruptelam horum humorum, teſtari obſtetrices poſſunt, qui ejus acredinem puſtulas ſaepe in manubus earum excitantem ſentiunt; & odorem percipiunt nauſeoſum valde, fere qualis eſſe foetor ſolet putreſcentium in ſcorbuticis dentium, imo aucto malo intolerabiliorem. Uterus interim adfluentem adhuc nutricium ſuccum non conſumit, nec depaſcitur, collapſis jam glandulis & poris quibus recipiebatur; unde redundans hic liquor in ſangvinea primum maſſa, poſt & in ſeroſis vaſis circumfertur per totum corpus, donec in mammariis glandulis poros inveniat parum abludentes ab uterinis. Senſimque incipit ibi colligi, & miſceri latici harum glandularum, hactenus qui-

dem otiosarum, nunc sensibiliter inturgescentium. Primus itaque liquor ille mixtus qui emulgetur colostrum dicitur, paulo post purum lac fluit paratum a Conditore & conveniens nutrimentum recens nato pusioni. Quomodo autem illa omnia perficiantur, rursus similitudine innotescet, desumta ab arboribus quibus detruncantur insigniores rami, dum interim abundans interius succus alio idoneoque trunci loco denuo frondere & virgulta tenera proferre incipit. Hinc etiam patet quomodo subitanea lactis redundantia in mammis uterum ferentium, signum evidens esse possit foetus in agone constituti, vel jam defuncti, ut observatum a medicis practicis jamdudum litterisque consignatum a probatis auctoribus est. Quemadmodum autem, AUD. H. ut in similitudine coepta pergam ulterius, simulq; finiam tandem hanc dissertationem meam, longiorem forsan quam Vos volueritis, vel ego praevideram; quemadmodum, inquam, videmus nucleos & semina plantarum germinare quidem ubi fertili terrae committuntur, non vero statim ferre fructus. sed primo surgit

git tenue folium pedibus facile proterendum, poſtea fit ſurculus; fit arbor, non niſi poſt annos aliquot optatos tandem datura fructus: Nonne autem, AUD. H. eodem modo comparata est hominis generatio? foecundatum ovulum & germinans in utero tenerrimus fit embryo. Editur in lucem debilis infans, manibus repens pedibusque instar quadrupedis; erigit ſe, fit delectabilis puſio, quique jam tum ſentire incipit cinere ſub doloſo occultos amoris igniculos vel puer, vel puella. Florida ſuccedit adoleſcentia voluptates urgens, voluptatibus obnoxia. Juveni lanugo prorumpit circa mentum, juvenculae mammae ſororiantur; & purpurea ſigna in matura viro virgine, & ardens in viro cupiditas, ad res agendas ſerio, lubricos jam ante ſtimulant, praecipitant, cogunt. Non ſimplex amor, vagaque libido & momentaneum conjugium, ut quidam dixit, ſatisfacit, prolem appetentibus, non amplexus: ſtabili itaque juncti matrimonio, optatos diu deſideratosque ferunt tandem fructus. Dumque ſuam in liberis redeuntem quaſi & renaſcentem imaginem mirantur parentes,

tes, non mirum est, si omnes alios ex illorum animis amores, sobolis tandem charitas deleat quasi. Hos itaque vere diligunt, suspiciunt, curant, colunt: suique immemores, ut liberis bene sit, ut floreant, ut parentibus maneant superstites coelum votis fatigant: Et si vel mori eos contingeret, sobolis non tamen intermoritur amor. Mater oblita * fastidiorum nonimestris gestationis, oblita dolorum partus, oblita periculi vitæ, laeta lubensque connubialem repetit lectum, novoque se parat rursus puerperio. Maritus elata mortua conjuge, subtristis silensque novas meditatur sub pulla veste nuptias: repetitque jugum, quod illi excussum fuerat. Meritoque hinc dicitur animal sociabile; sicut & omnium prima merito habetur conjugalis societas. Denique universum genus viventium ita natura instituit, ut prolis amor omnia vincat, & quotidie videmus bruta quidem animantia pro suis foetubus vitam & negligere & profundere, homines etiam non

* *Conf. Andr. Laurentium Lib. 8. Anat. Cap. 1. Q. 7. & Hofman. Comment. in Gal. L. 14. de us. part. c. 9.*

non raro illa ipſa, quae vitâ deberent eſſe cariora. Adeoque hâc non ſcripta, ſed nata lege, quam ex natura ipſa arripuimus & hauſimus, rem agentes poſteritatis, conſervamus in perpetuum mirum illud opus DEI humanum genus. Vobis autem, AUD. HON. pro auſcultatione ſedula & attenta maximas jam gratias agimus: minime ſolliciti de eorum cenſura, qui cum turpia facere ſaepe ſoleant, & facta ſollerter occultent, naturalia tamen verbis deſcribi doctrinae gratia & loco & tempore debito vix ferunt, imo quaſi indignantur. Ego laedere nullius oculos vel aures, vel modeſtiam volui, prodeſſe diſcentibus conatus ſum, quod ſi non obtineo, faventes tamen VOS Judices ſpero: cum licet vires deſint, ſit tamen bona laudanda voluntas.

INDICULUS CONTENTORUM.

* * *

Abortus embryonis descriptus pag. 34. 37.
Aër an misceatur sangvini foetus? 40. 43.
Arteriae umbilicales 33.
Auctoris opinio de vera caussa partus 94.
*Auctoris observationes signo * passim indicantur.*
Aquae in utero praegnante diversæ ab aquis quibus innatat foetus 52.
Caput infantis quomodo comprimatur in partu 73.
Cinguli usus in puerperis 80.
Connatum esse coitus desiderium & sobolis amorem 102.
Conclusio 103.
Conservatio duplex hominis 2.
CRANII (Theodori) hypothesis de diversi sexus prima formatione 28.
Conceptus, nativitatisqve dies in quibusdam infantibus notatus 53.
DRELINCURTII & GRAAFVII sententiæ conciliatae 18. 20.
Foetus e Fallopiana tuba exsectus 28.
unde nutriatur 38.
ejus in utero situs 49.
in utero motus & inversio 50. 51.

galeatus

galeatus: & una cum secundinis integris exclusus 79.
mortuus diu in utero restans 55.
mortuus cur difficilius excludatur 83.
ejus in utero jam demortuo certum signum 88.
Funiculi umbilicalis nodi & quid inde 33.
convolutio 77.
compressio 40. 42.
religatio & decidentia 91.
Furor uterinus 11.
Genitura vermiculis scatet microscopio detegendis 25.
& quid inde 26. 27.
Infantes quomodo referant parentum vultus 24.
Imaginationis efficacia 7. 25.
LAMIUS Medicus negat foetum ex ovo produci 21.
Lac versus mammas quomodo fluat 101.
Libido quid sit in mare 7.
quid sit in foemina 9.
Locchiorum fluxus & quid inde 100.
Matre mortua natus infans 84. 85.
Meconium quid. ex ejus abundantia calcitrare foetum intra uterum 57.
Membranae foetum involventes quomodo e placenta primum emergant 44.
quomodo rumpantur 71. 72.

Muliebre ſemen: & quid ſentiendum de eo 14. 15. & ſeq.
Mulieres menſe duodecimo foetus ſanos parientes, & quid de eo cogitandum 55.
Naviculae dilaceratio & quid inde 74. 75.
Os uteri ejusque clauſura 30.
ejus exploratio & quid inde 30. 31.
ejus apertio quomodo fiat 32.
Ovulum fabae inſtar germinat 35. 36.
Ovula mulierum quotuplicia 19.
Partus dolores ſive labores diverſi & quibus nominibus a noſtris nuncupentur 65.
ejus cauſſæ diverſae 56.
Placenta accreſcens orificio uteri 45. 46.
quomodo formetur 34.
ejus ſitus in utero varius 47. 48.
Priapiſmus quid ſit & quid inde 8.
Similitudines illuſtres 32. 35. 58. 95. 102.
Terminus geſtationis foetuum in diverſis animalibus 52.
Uteri cum annexis ſimulacrum demonſtrationis gratia confectum 4.
Uterus inſtar ventriculi vomiturientis 58.
ejus in partu commotiones robuſtae 64.
ſitus & habitus in muliere partu extincta obſervatus auctori 69.
Venae num pulſent? 39.

LECTOR CANDIDE.

POsteaquam aliquid hîc chartae superesset, nolui illi periturae parcere, sed natas quasdam inter taedia correcturae typographicae cogitationes, quasi notas inserui, non ut contradicerem quidquam amico auctori, cujus humanitati debeo, quod nominatim in hoc scripto compeller; sed ut ansam praeberem L. B. meditandi de quibusdam rebus, quae nocitura interim sunt nemini. Praepostero autem ordine ab ultimis versus initia retrogrediar; paratus & reliqua a Cl. Viris praelecta in hac anatome, quae huic Upsalensi Nosocomio si non ipsa jecit prima fundamenta, modum saltem & qua ratione jacerentur designavit, publicae dare luci, cum cognovero hosce conatus non plane infeliciter cessisse.

Pag. 105. *Humanum servamus genus.* Sapientissimo mortalium omnia videbantur vana, credo ut doceret nos, esse exspectandam aliam & meliorem post hanc vitam: Quam cum ignorarent Ethnici, tamen & inter eos, eloquentes viri, descripserunt humanae vitae miserias plurimis verbis, sed obsecro cui bono! harum enim rerum attenta consideratio, non nisi languidiores reddere nos potest, ad peragenda hujus vitae necessaria munia. Itaq; mihi quidem perpulchri videntur versiculi Graeci Juliano Imperatori adscripti: Ἡδέα πάντα κέλευτα λάχεν βίος: &c. Jucundas

„cundas omnes vias ſortita eſt vita; in urbe „media gloria, ſodalitia occultae in aedibus „dolorum medelae, ager oblectationes ha„bet, lucrum navigatio, peregrinatio ſcien„tiam, ex nuptiis domus concordia, non „nuptis vita ſemper ſecura, munimentum „naſcitur patri filius, innanis prole carenti„bus metus, robur juventus, ſenectus pru„dentiam novit praeſtare. Unde animo con„fidens vive, & planta genus. Epigr. Gr. Lubini cap. XII. lib. I.

P. 104. *Bruta animantia pro ſuis foetubus vitam negligunt.* Sunt & in hoc argumentum amoeni Graeci verſiculi lib. ante cit. c. 87. in philoſtorgiam, Alphaeo quodam auctore, de Gallina unâ cum ſuis pullis quos fovebat frigore enecata & obrigeſcente. Χειμερίαις νιφάθεσσι παλυνομένα τιθὰς ὄρνις, & quae ſe„quuntur. Hiemalibus nivibus humectata „manſueta gallina pullis ſoporiferas circum„fudit alas, donec illam caeleſte frigus per„didit. Certe permanſit aetheris caeleſtium „oppugnatrix nivium. Progne & Medea in „inferno erubeſcite matres, avium opera „diſcentes. Non ignotae fabulae. Medea enim cum Jaſone invitis & deſertis parentibus connubium iniit. Poſtea amore in odium & iram converſo, & facto divortio Jaſon Creontis filiam duxit. Quam injuriam Medea crudeliter ulta, non ſolum filiam Creontis incendio perdidit, ſed etiam ſuos ipſamet liberos jugulavit. Adeo ira,

amor

amor, & crudelitas in ea exarserant. Tereus vero Thracum Rex, cum Atticae Prognes uxoris suae sorori Philomelae, linguam praecidisset, illato prius stupro, hac immanitate, & cupidine ulciscendi commota Progne, filium communem Ityn dilaceravit & epulandum patri apposuit. Referuntur fabulae Metamorph. lib. 6. fab. 7. & lib. 7.

P. 102. *Quemadmodum semina germinant.* Illustris est & usurpata optimis scriptoribus & meditanda saepius hominis cum planta similitudo. Glauci Hippolochi filii, decretoria pugna jamjam cum Diomede pugnaturi apud Homerum sequens est oratio, Zenoni gravissimo magistro Stoicae philosophiae, saepius citata, uti est apud Laërtium:

Tydide magnanime cur genus percontaris?
Quale foliorum genus, tale & virorum.
Folia alia quidem ventus humi fundit, alia item sylva
Germinans producit; Veris autem succrescunt tempore.
Sic uirorum genus: hoc quidem nascitur, illud vero denascitur. Iliad. z. v. 145.

P. 59. *Qui unquam praesens fuit primiparae.* Est & hujus rei elegans apud Oppianum descriptio Venat. l. I. p. 34. vertente sic „Rittershusio. Ut autem cum qua puella de„cimum circa mensem lunae primipara, par„tionis doloribus percussa & solvit capillos, „& disrumpit ornamenta ab uberibus, ac „discincta miseraque & absque calantica discurrit

„discurrit passim per aedes & afflicta labo-
„re, alias quidem ad vestibulum tendit, alias
„vero in cubile pergit, nonnunquam etiam
„in pulveribus projecta ejulat, roseas ungui-
„bus lanians genas. & quae seq. est autem
calantica --- Verum dic sodes cui tan-
dem farcimus hosce nostros centones? Cum
medicum de quo hic agitur argumentum
parum ista omnia spectent. Itaque ad alia.

Pag. 91. Mentio fit *funiculi umbilicalis*



exare-

exarefacti, cujus hic quaedam adumbratio inseriur.

A. Arteriae umbilicales forfice ab obstetrice detruncatae, & per tunicam transparentes.

B. Vena umbilicalis supra ligaturam conspicua.

C. Ligatura ab obstetrice facta.

D. Cavitatis pars concava abdomen versus.

E. Cavitatis pars convexa.

F. Tunica vaginalis tria hæc vasa includens.

G. Extremitates arteriarum, sponte separatae.

P. 46. *Portalii observationum mentio fit praecipue obs.* 2, 39, 41, 51. &c. Gallice scripsit ediditq; easdem Parisiis anno 1685. Vir in praxi versatus, ut facile patet, non oscitanter referens quae est expertus, ingenueq; errores etiam proprios revelans. Habet autem in animo auctor hujus dissertationis HOORNIUS, typis hunc denuo evulgandi, sed versum in Latinam linguam, superfluis si quae sunt rejectis, concinniorem, illustratumque observatis propriis translatoris: Interim unam vel alteram ex observationibus citatis hic inseramus: praecipue cum firment quae auctor de placentae situ docuerat. *Observatio itaq; Portalii* II. *sic sese habet:* Gravida octavo mense laborabat uteri haemorrhagia, id neglexerat initio; jam ve-

ro qui octavus dies erat, prae debilitate moritura videbatur, omnibusque peractis sacris ceremoniis expectabant circumstantes ut efflaret animam. Portalius jussus tentare quae posset, unctis butyro recenti digitis e vagina cruoris concretas massulas separans, invenit aperturam interni orificii, exaequantem diametrum nummi Francici, dicti *Ecus blanc*, crassitie vero sua non ultra lineam fere. Porro cum sentiret digitis molle quoddam corpus, animadvertit id esse secundinam, quam sensim solvens ab uteri lateribus, membranas aqua plenas disrupit, facilique negotio pedem investigans foetus, extraxit eundem, nulla vitae signa prodentem. Mater fideliter curata, alimentosisque medicamentis saepiuscule & parum exhibitis, frequentibusque insuper clysmatibus recreata, rediit tandem ad sanitatem pristinam, exceptis capitis doloribus, qui paulo diutius illi durabant. *Observ.* XXXIX. *talis est*: Advocatur ad gravidam afflictam profluvio sangvinis jam per dies 19. sed ita aucto, ultimo die, ut prae debilitate non agnosceret circumstantes. Omnibus remediis frustra tentatis jam morituram praedicebant Medici, nisi artificiosa manu liberaretur a foetu. Portalius deprecatur invidiam si contingeret aegram in ipsa tractatione mori, tum insertis digitis, placentam animadvertit occludentem

matricis

matricis orificium. Cum membranae nondum ruptae essent, facile inverti infans & pedibus extrahi potuit, sed erat jam mortuus. Solent in hisce casibus viscera puerperae ita relaxari, ut absque difficultate peragatur operatio. Sensus redierunt matri, sed denuo passa animi deliquium, continuis insuper agitata convulsionibus obiit, quod auxilium, uti videtur auctori, serius illi esset adlatum. Aperuerunt cadaver defunctae, absente Portalio, alii: uterum nitidum & a sangvine purum invenerunt, nihil autem, cujus culpam in medicum rejicere possent. *Addam &* LI. *Obs.* Gravida quaedam perviolentam uteri haemorrhagiam jam defatigata plane paraverat se ad moriendum, cum juberetur Portalius ea tentare quae profutura viderentur: unctis digitis explorans orificium, id dilatatum reperit ad diametrum 7. vel 8. linearum, idem & circumstantibus medicis sentire fecit; Introduxit postea indicem digitum, tum medium & annularem & reclusis sic visceribus, pollicem itidem, minimumque digitum sensim intulit & quasi cum quodam matricis, dicto speculo, distendebat, annulumque sic distrahebat, ut in fundum manu penetraret, sentiretque placentam quae circumdabat internum orificium, unde & dehiscente orificio orta ex disruptis simul placentae ramulis haemorrhagia fuerat. Separata placentâ

ulterius digitos versus partem internam & posteriorem matricis detulit, ut contingeret membranam aqua distentam, qua unguium compressione disrupta, aquae effluxere; utut orificium uteri manus ejus occupaverat. Facile tunc pedes infantis reperit; alterum deinde digitis prehensum attrahebat, quanta poterat celeritate, aspersaq; sub conditione, uti mos est, sacrata aqua, lustrabat. Postea involutum linteo extrahebat pedem femurque ad usque nates. Observans tunc ulterius cruris situm, id agnovit super ventre plicatum esse, quod si versus posteriora fuisset divaricatum, aut inferendae de novo nates fuissent, aut per inconsiderantiam confregisset crus infantis. Sed certus de illo quem dixi situ, trahebat & alterum crus firmiter audacterque, tum & corpus reliquum ad usque axillas; quas expediebat, manu dextra collo apposita posterius prope caput, sinistra vero pectori seu sterno applicata anterius. Extractus sic tandem infans debilissimus erat, tum ob factam jacturam sanguinis, tum ob illatas in arcto transitu injurias: sunt enim in praeternaturali casu arctiores viae, & labore protracto diutius, inflantur quasi viscera & intumescunt. Secundinas jam ante separatas facili negotio extrahebat, infantemque prope focum positum & placentam adhuc adhaerentem immittebat vasi pleno vino calefacto, vinum-

que

que purum oculis naribusque ac auribus infantis aſpergebat, linteoq; vino calente madido corpus totum involvebat, caepas contritas continuo applicabat ori & naribus, & linteum vino calido madens ſaepius admovebat ſcroto, nam puellus erat. Revixit itaq; & cum matre, perfecta ſanitate fruitur. Reliquas obſervationes citatas mitto, utpote paulo prolixiores.

Pag. 34. *Citatur Ruiſchii quaedam obſervatio*, quae ſic ſeſe habet. Obſervatio XIV.

Superfœtationis exemplum. Uxor Chirurgi Amſtelodamenſis, anno 1696 infantem robuſtum & viventem peperit. Sex horis post hunc partum in lucem quoque edidit embryonem, cujus umbilicalis funiculus *A.* tot hydatidibus erat refertus, ut videretur quaedam concatenatio veſicularum aqueo humore refertarum: placentula vero *B. B. B.* (cujus hic fere tertiam partem expreſſimus) tantae magnitudinis erat & craſſitiei, ut in foetu trium menſium raro craſſior & major reperiatur. Caput embryonis reſpectu corporis

reliqui ingentissimum: artus instar appositarum particularum rotundarum sese prodebant. Servatur totum hoc inter selectas alias anatomicas quasi reliquias in Cl. auctoris Museo.

Pag. 32. *Graafvij observationes* de mutationibus ovuli quas c. 16. de generatione Cuniculorum refert libello de Organis. Quae omnino sunt maximi momenti. Itaque meretur, ut ante oculos habeant tirones artis, quam in similibus instituendis experimentis observare methodum debeant. Ad quam excitare eos si possem, vellem, non solum ut emendarentur hae delineationes, quod quidem erit perfacile, sed & ut in ipsa facti historia si quid forte omissum alicubi fuerit, animadverteretur. Brevibus autem verbis res tota absolvetur. Eligit auctor cuniculos, quoniam & illorum nobis suppeditari copia potest, & coëundi tempora exacte notare & dum plures simul enituntur foetus, quod deest in uno in altero examinare licebit. Praemitti autem debet dissectio cuniculi foeminae â mare necdum compressae, ut quae postea sequitur in visceribus mutatio observetur rectius. *C.* cornu extremitas seu oviductus principium. *O.* Oviductus gracili principio exortus serpentino tractu sensim sese dilatans & ultra testiculos

ſticulos excurrens infundibulum *I.* conſtituit. cujus portio teſtibus *t.* annexa eſt, & cavitas *R.* teſtes excipit. Hiſce praenotatis jam ſequentia obſervata a ſe praedictus auctor docet.

§. Dimidia hora poſt coitum uteri cornua aliquantum rubicundiora erant: teſtium ova nondum immutata. In vagina aut cornubus nihil omnino ſeminis.

§. VI. hora. Ovulorum folliculi ad rubedinem vergebant, ex quibus acu pertuſis materia lenta & limpida erumpebat.

§. XXIV. hora. In uno teſticulo tres in altero quinq; ovorum folliculi valde immutati erant: opaci ſcilicet & dilute rubicundi, & in media ſuperficie perexigua veluti papilla hoc fere modo.

§. XXVII. hora. Uteri cornua cum oviductibus ſangvinea magis, & infundibulum teſtes undique amplectebatur. Eminebant exiles papillae, per quas preſſo teſticulo proſiliebat limpidus liquor ſubſequente rubicundiore & denſiore. Nulla in cornubus ova.

§. XLVIII. hora. Papillae eminentiores. Preſſus liquor albuminis inſtar extillabat: ſubrubea ſubſtantia ſpiſſior ac ante, minus facile ſequebatur.

§. LVIII. hora. In uno teſticulo unum in altero quatuor immutati; quibus diſſectis materia quaſi glanduloſa reperta, in cujus medio exigua cavitas nullum notabilem li-

quorem continebat. Rugosa cornuum interna tunica admodum inflata splendebat.

§. LXXII. hora, sive tertius a coitu dies maximam mutationem exhibuit; Infundibulum testiculum undique arctissime amplectabatur; quo retracto in lateris dextri testiculo tres folliculi majores aliquantulum ac duriores, in superficiei medio tuberculum ad modum papillae exili foramine pertusum habebant. In folliculorum dissectorum medio cavitas erat prorsus exinanita. In oviductus vero dextri medio unum & in ejusdem lateris cornu extremo duo minutissima ovula sequentis fere magnitudinis ∴ inventa fuere, gemina tunica involuta, limpidissimum ubi acu pertundebantur liquorem fundentia. In altero testiculo tres folliculi magis lucidi minorique foramine pertusi videbantur, in quorum etiam medio tantillum limpidissimi liquoris adinventum: at quartus folliculus obscurior erat, nec quidquam liquoris continebat. Unicum autem ovulum in ipso cornu principio deprehensum prioribus simillimum. Unde patet ova jamjam e testibus exclusa aliis adhuc in restibus haerentibus decuplo minora esse.

T. Testiculus est, in quo tertio a coitu die folliculorum crassities & cavitates, in quibus ova delituerunt, apparent.

§. Quarto die in uno teste quatuor in alro tres

tero tres globulos ſeu folliculos exinanitos invenit, & in utriusque lateris cornubus totidem ova praecedentibus majora, quae jam verſus cornuum media provoluta erant. In teſtibus praeterea quatuor veſiculae nigricantes obſervatae, ex quibus apertis ſangvinis grumulus eximebatur: id autem erat praeternaturale quid, quamquam & alias obſervatum ſaepius.

§. Quinto die in ovariis ſex innaniti folliculi numerati notabili papilla praediti, per cujus foramen ſeta in cavitatem facile inſeritur. Ovula hujus magnitudinis erant diverſis uteri partibus tam laxe adjacebant, ut ſolo flatu quaquaverſum propellerentur.

§. Sexto die in uno teſticulo ſex folliculos exinanitos, ſed in ejusdem lateris cornu quinque tantum ova prope vaginam in cumulum quaſi redacta: In alterius lateris teſticulo quatuor folliculos exinanitos & in ejus lateris cornu unum tantum ovum repertum: vel quod undoſo uteri motu, inteſtinorum motui periſtaltico non abſimili, deorſum verſus vaginam delata foras propulſa fuerint: vel quod in folliculis conſumpta ad uterum non pervenerint, vel alio quopiam modo ſiniſtrum eventum habuerint: magnitudo ovulorum haec fere erat.

§. Septimo die exinanitos aliquot folliculos

los praecedentibus majores, rubicundiores, duriores perſpexit: totidemque transparentes tumores ſive cellulas in diverſis uteri partibus: ex quibus apertis ova hujus magnitudinis eximebantur, ubi praeter internam tunicam & limpidiſſimum humorem nil conſpiciebatur.

§. Octavo die in dextro unâ cellula, in ſiniſtro duae: harum una duplo fere major erat altera, naturae quadam varietate, cum tamen omnia determinato partus tempore excludantur. Ova autem prius quam eximi poterant, limpidiſſimum ſuum liquorem effundebant prae teneritudine membranae. Itaque ova una cum utero elixavit auctor, & eorum contenta inſtar albuminis induruerunt.

§. Nono a coitu die vetulam diſſecuit. Cujus teſticuli erant duplo fere majores, quam in junioribus. In dextro duos in ſiniſtro quinq; folliculos nuper exinanitos vidit, & praeter hos adhuc alios palleſcentes (praecedentis ſcilicet coitus nondum abolitos) tametſi plerumque tantum ſubcineritia puncta relinquant, quibus teſticulorum debetur auctio. Poſtremi vero coitus folliculi, papilla obſiti, alii plani exiſtebant. Cellularum ſubſtantia reliquis uteri partibus rarior ac pellucidior vaſorum propaginibus intertexebatur. Apertis cellulis ova eximere non licuit,

licuit; contentum autem instar crystalli limpidum in medio nubeculam raram exilemque innatantem habebat: Interna cellularum substantia, quae hypogastricà vasa recipit, prae reliquis magis tumida jam placentarum primordia exhibebat.

§. Decimo die ut alia praetereamminoris momenti, in cellularum medio rude & mucilagineum embryonis delineamentum veluti vermiculus delitescebat. Placenta quoque conspiciebatur, cui ovum mediante suo chorio annexum erat.

§. Duodecimo die embryo conspicuus in pectoris regione duo puncta sangvinea totidemque albescentia conspiciebantur, reliqua ob teneritudinam informia.

§. Decimo quarto die uteri cellulae majores, vasaque turgidiora erant: disruptis membranis amnio chorioque, embryo conspiciebatur capite praegrandi ac pellucido cum cerebello in apicem porrecto, oculi prominuli, os hians, etiam auriculae quodammodo dignoscebantur. Spina per dorsum albicante colore in longum protendebatur, quae circa sternum inflexa carinam referebat. In pectore duo puncta sangvinea cordis ventriculi erant, albescentia ad latera puncta pulmonum loco visebantur. In aperto abdomine subrubeum hepar, & albicans corpusculum cum annexa mucilaginea materia instar fili contorti ventri-

ti ventriculi ac inteſtinorum primordia: quae omnia in ſequentibus majorem tantum molem ac perfectionem acquirunt.

§. Denique vigeſimo nono â coitu die, qui eſt penultimus geſtationis, ut reliquas diſſectiones inſtitutas praetereamus, ovarii folliculi albicantes exiles ſunt & evaneſcunt fere. Uterus vero non jam in cellulas diſtinctus, ſed inſtar infarcti farciminis undique diſtenſus erat, qui motu undoſo, periſtaltico non abſimili ita agitabatur, ut foetus vaginae proximiores membranis adhuc obvoluti in lucem prodirent; idque adeo praepropere, ut niſi extirparetur uterus omnes haud dubie expellerentur, qui jam in diſſecti uteri cavitate calcitrantes conſpiciebantur. Membranarum uteri figura inflato per tubulum amnio, patet: ut & tubulo per foramina in albicante placentae parte conſpicua in membranam urinariam immiſſo: ipſisque illis foraminulis inflatis, rubra placentae portio inſtar ſpongiae intumeſcebat. Haecce itaque prolixiora licet hactenus attexuimus, in gratiam praecipue eorum, quibus ſurgentia omnipotentis Creatoris juſſu e limpida quadam aquae bulla animalium primordia, ſpectare; & haecce non indigna naturae, ex parvis initiis ſua maxima ordientis, laboratoria quaſi, perſpicere, non injucundum erit.

Pag. 28. *Cypriani obſervatio.* Eſt & ab aliis

aliis jam ante obſervatum foetus fuiſſe in tubis Fallopianis conceptos: ergo germen foetus non eſt alibi quaerendum quam in ovulo: hactenus recte; & quidem foecundato antequam ad uterum pervenerit; hic haeſitant noſtri auctores. Interim ut oleum huic diſputationis igni adferam, non

aquam, inſeram quam dedere Pariſienſes obſervationem: *dans les Memoires de l' Academie Royale des Sciences An.* 1702. Quas, quod hiſce Bellonae turbis adhuc habere nobis liceat, debemus Belgarum ſedulitati ac induſtriae, quidquid terrarum ingenioſe proditur,

proditur, ſtatim recudentium divendentium-que. Eſt autem obſervatio Duverneji ſenioris, cujus miram in diſſecando dexteritatem, & in interpretando facundiam, & mihi cum ſociis mirari ſaepiuscule licuit, cum annis abhinc viginti Lutetiae Pariſiorum haerentes ſtudiorum gratia, frequentiſſimae auditorum ejus turbae immiſcebamur: figura itaque hic appoſita foetum refert in dextra tuba, mucilagineo conditum quaſi humore, inventum, ejusdemque ac hic, utcunque delineatur, magnitudinis ſitusque. *A.* matricis fundus. *B.* collum ejus. *C.* vaginae portio quae collum ambit. *D.* ligamenta rotunda. *E.* ligamenta lata. *F.* tubarum papilio, ejusque apertura. *G. G.* ſacculus tubae dextrae apertus, foetumque quem continebat, deoperiens. *H.* foetus, cujus integumenta & muſculi ita exaruerant, ut intus latentia oſſa fere omnia non obſcure agnoſcerentur. *I.* placenta una cum funiculo omnino deſiccata; tum quaedam portiones & laciniae membranarum foetus. *K.* tubae pars inter uteri fundum & ſacculum foetus intermedia, tenuis valde planeque occluſa. De ovulis foemineis hic ſub litera *L.* adpictis vide jam ſupra pag. 19.

Pag. 25. *Fertur vermiculos obſervatos in genitura a Leeuwenhoekio, & eſſe hos ipſos rudimenta foetus.* De priori membro prius dicamus, de poſteriori poſtea. Dari itaque

ista

ista animalcula, jam ante & aliis innotuisse viris doctis patet ex iis quae refert Joach. BECHER ob varios in diversis Europae locis chymicos publicos conatus longe celeberrimus, *in der Naerrischen Waeisheyt*, part. 2. § 37. *Doctor Theod. Craanens Microscopium 100000 kleine Thiere in einem Tropfen Wasser zu sehen.* Addit Auctor: *ich habe sie nicht gesehen, und ich lass allen Musterschreibern, Rechenmeistern und ihm selbsten zu, wie er dieselbe zehlen will*, & quae sequntur. Quae tamen sollicitudo Dn. Leeuwenhoekium non retinuit. Incredibilem enim horum animalculorum multitudinem in lactibus unius aselli majoris (*uti miölken af een kabeliow fisk*) provenientem plus decies superare homines in universo terrarum orbe viventes, hoc fere modo demonstrat *Epist. ad Regiae societatis Collegium Londinense exarata Delfis 25. April. 1679.* Pono, inquit, centum arenulas juxta se collocatas conficere longitudinem unius pollicis, lactesque unius aselli majoris habere magnitudinem quindecim pollicum

100
100
100

Fit igitur summa 1000000 arenularum in unius pollicis cubici magnitudine.

15

Fit

Fit ſumma 15000000 arenularum in magnitudine 15 pollicum, qualem magnitudinem lactes habent.

10000 animalcula in particula unius arenulae magnitudinem habente.

colligitur ergo

ſumma 150000000000 animalculorum in unius aſelli majoris lactibus.

Conficiam etiam (probabiliter ſaltem) ſummam univerſorum hominum in terra degentium. Longitudo circuli majoris in globo terreſtri ſive ambitus terrae communiter dicitur conſtare ex milliaribus Germanicis 5400.

Jam vero ex proportione Archimedea diameter erit 1718 mill. Germ. ſc.

22 -- 7 -- 5400 -- 1718.

Hi duo numeri (5400 & 1718) inter ſe multiplicati conficiunt ſuperficiem convexam terraquei globi, vel ſecundum auctoris calculum, 9276218 milliarium quadratorum.

Ajunt globum terreſtrem habere duas tertias partes aqueas vel marinas, & unam tertiam terreas, conficiunt ergo partes terreae, ſive relinquitur pro terra aquis exſtante 3092072 quadrata milliaria.

Pona-

Ponamus (*porro inquit*) unam tertiam partem terrae non esse habitabilem

3092072
1030690

relinquuntur 2061382 quadrata milliaria pro terra habitabili. Incolarum vero numerum sequenti ratione inquirit: ponit Hollandiam & Westfrisiam viginti duo milliaria longam, passimq; septem milliaria latam esse

7
22

continet 154 milliaria quadrata.

Si jam terra habitabilis 2061382 milliarium quadratorum dividatur per magnitudinem Hollandiae & Westfrisiae 154 mill. quadratorum, erit terra habitabilis 13385 major Hollandia & Westfrisia.

Ait porro, in Hollandia degere 1000000 homines: & praeterea si quis, *inquit*, poneret, partem terrae habitabilem undiquaq; a tot hominibus incoli, quot Hollandia habitatur, cum tamen id minime fieri possit.

13385 major esset terra habitabilis Hollandia.
1000000 homines in Hollandia.

Dantur ergo 13385000000 homines in orbe terrarum. Animalcula vero quae in lactibus, seu semine masculo habentur, sunt 150000000000; Sole meridiano ergo clarius

rius liquet, animalcula in lactibus unius aselli majoris, plus decies superare homines in terrarum orbe viventes. *Hactenus ille.*

Sed & â nostris cum diligentia in haecce inquisitum fuit. Nam cum Ubsaliâ Leydam abiret anno 1702 Cl. Chr. STROEMMIUS Med. Doctor & Oerebrogensium nunc Practicus, inter alia proponebat sibi indagandum, qua ratione efficerentur ista microscopia Leeuwenhoekiana, quibus certe tot miracula debemus, ut cum iis novus quasi detectus orbis videatur litteratis, non aliter quam acui magneticae suum debent omnia pervestigantes nautae mercatoresque. Obtinuit autem curiosus sedulusque indagator haud ita difficulter, quod quaerebat in illo emporio Europae, nec inhumana erga hospites gente, praesertim cum necteret paulo diutius apud eandem moram. Habeo ab ipso confectum microscopium, quo detegi istae minutiae possunt: retulitque nupero scripto, sese jam eo pervenisse in hisce conficiendis vitris, ut credat Dom. Leeuwenhoekium non habuisse meliora, cum suas primum epistolas vulgaret: sibique hosce vermiculos sub hac magnitudine, *prout ipse delineavit*, apparere: eosque contra liquoris sive guttulae torrentem niti dum vivunt, unâ cum eo vero abripi & devehi postquam desierunt vivere: adeoque certum esse dari

hos

hos ipſos, & exiſtere, nec oportere haberi pro volatilium particularum fumo, id quod intuentium oculis obverſatur. *Haec ille.*

Quod autem attinet ad hinc deductas conſequentias, notari primum meretur, quod cum humana proles in utero piſcis vitam vivat, poſt aërem ita reſpiret, ut ſuffocetur aquis ſi immergatur, adeoque non minorem certe, quam ullum inſectum metamorphoſin ſubeat; utique hactenus non rejici debeat, imo concedi poſſit, ut naturae rerum conveniens, nec inſolitus vermiculi in embryonem ſuppoſitus hic transitus; qui transmarinis quibusdam eruditis, credo, arriſit non ob aliam cauſam, quam ut ingeniis ſuis, veluti vento, ut de Graecis Romae degentibus olim Plinius conqueſtus eſt, receptas opiniones agitarent. Sed reſtant hîc quaedam dubia graviora. Et praeterquam quod in aliis quam genitura, liquoribus obſerventur ſimiles his, vermiculi; etiam totum hoc, Logicus quis diceret, minus recte infertur: video infinita animalcula, ergo humani foetus rudimenta video! Nam ut concedatur, unumquodque animantium, imo & plantarum genus, dum maxime vigent, proprios ſibi vermiculos continere, fovere, nutrire; Morus arbor bombycem, Indica ficus Cochinillam, aliud alios: non tamen ſunt iſta animalcula cum ipſis ſeminiis generum confundenda; *ty kåhlmask är intet kåhlfrö.* Ve-

rum ſeria hujus rei discuſſio vel exſpectanda a Claris Viris, qui hanc amplectuntur opinionem, vel alias erit reaſſumenda. Nunc quae reſtant abſolvemus.

Pag. 17. *Fallopianae tubae* cum ſuis apicibus; quas ex antiquis ſcriptor quidam* navium taeniis, (*ſmâ flaggor*) ad malorum cacumina volubilibus aſſimilat, quod hae laciniae, pinnulae verſatilis more ad omnem veneris auram impellantur, & quaſi volitent. In extinctis corporibus collabuntur &

flaccidae apparent tenuesque. Sed docuit nos jamdudum COUS SENEX non eſſe eundem

*vid. Drelincurt. Exper. anat. de Tubis uteri.

eundem viventium animalium habitum & demortuorum. Dn. BIDLOUS in ſpecioſo ſuo Theatro anatomico per Cl. artificem & Pictorem Amſtelodamenſium Lariſſæum, in hunc fere modum haſce tubas vel cornua, ſi mavis, delineari curavit. Ubi praecipue lacertoſae illae & laeinioſae fibrillae: *Modertrummornes Loefwerken eller Kiöttåger, lijkſom Franſar*) repraeſentantur contentae & expaſſae & in figura ſecunda copulatae teſtibus, ſemen ab ipſis quaſi corripientes. Devolvi autem per hoſce canales ovulum etiam in homine, conſtans hodie eſt opinio inter auctores, & ſentiri ovuli hunc motum a mulieribus in dextro latere vel ſiniſtro tertio vel quarto a congreſſu die, in prima praecipue ingravidatione, credo, aſſerentibus; mihique perſvadeo foeminas ingenio & attentione valentes poſtquam haſce partes rite diſſectas viderint, cognoverintque; & quas exercemus nos inter controverſias perceperint, poſſe in ſemetipſis circa totum hoc negotium plurima animadvertere, de quibus Viri, non niſi per quandam nebulam ut ita dicam ratiocinantur, & andabatarum more depugnant.

Ovi pennatorum paſſim mentio fit. Ovum, & alimenti indigo ventri cibus optimus ſaluberrimusque, & animo veri cupido digna inquiſitioni materies, ex anatomia comparata innoteſcet, poſtquam exilitate ſua in

corpo-

corporibus humanis investigatorem eludit. Historia itaque incubationis ovi & pulli procreationis, saepius relegenda est, sed in naturae libro. Nam verissimè Hippocrates lib. de nat. P. *Increscit avis in ovo & eodem prorsus consimilique modo in membra dispescitur veluti puer.* Postquam autem ista transmutatio fuerit jam aliquoties usurpata oculis, tum legendi per otium sunt, qui circa idem hoc argumentum consignarunt observationes suas vel alienas. Et inter Graecos quidem supersunt, quem nominabam HIPPOCRATES, & post eum ARISTOTELES, & ex eo PLINIUS inter Romanos, & post renatas in Europa litteras ALDROVANDUS & COITERUS, ambo Itali, & post eos Æmyl. PARISANUS Medicus Venetus: & praecipue Hier. ab AQUAPENDENTE, ejusque comentator egregius Guil. HARVEUS Anglus, & ex eadem gente LANGLY, ALDES, NEEDHAM: Et e Dania STENONIUS: Et inter Germanos SCRADERUS & VESLINGUS: Et deniq; Bononiensis MALPIGHIUS, qui in ovo nondum incubato, foecundo tamen pulli carinam candidis delineatam zonis innatare suo colliquamento, adjutus microscopiis detexit. Quos omnes praenominatos scriptores seorsim multo labore investigandos, Lectoris insigni commodo, in unum consarcinavit volumen Gerhardus BLASIUS Belga.

Ovi gallinacei per medium dissecti delineatio.

K. Cortex, putamen, testa; durum, tenue, friabile, porosum integumentum, colore in gallinis candido, & in ovo recenti ab adhaerente quodam polline scabrum. *I. G. E. C.* membranae s. tunicæ cortici proximæ. Prima crassior & firmior. Subjecta huic & liquoribus contigua mollior, vitelli vero membrana tenuissima. Tum albuminis tenuioris tunica post aliquot dierum incubationem inspicienda: colliquamenti deniq; involucrum & albuminis crassioris membranae ita tenues, ut visum fere fugiant. *H.* Cavitas aërea in obtusiore parte ovi prope putamen efformata, quae in majorem, ubi incubari ovum coepit, peripheriam dilatatur; e directo subjectæ respondens chalazae ante incubationem, nam postea sese vitellus, quod mirum est, convertit. *D.* Chalazae sive grandines; alba, concreta, nodosa corpora, vitelli membranae appensa, & quasi albuminis essent numerosae tunicae,



hinc

hinc inde in utroq; extremo contortae ſunt in chordam nodoſam qua vitello adnectuntur; vel quaſi duo cardines hujus microcoſmi, mutuo oppoſiti vitellum in centro ovi firmantes. *F. E.* Albumen; ovi candidum; Lac avium dictum. Frigidum eſt lentumque. Eſt & duplex propriis ſecretum & involutum tenuiſſimis membranis: alterum liquidi⁹; alterum craſſi⁹ & viſcoſi⁹, quod undiq; tegit & circumfluit croceum vitellum. *B.* Vitellus, a vita dictus, quaſi inde pullus vivat, ovi luteum a colore. Molliſſimus eſt liquor, totusq; oleoſus ut experimentis pharmaceuticis conſtat, quemadmodum & vegetabilium ſemina fere omnia oleoſa maxime ſunt. *A.* Cicatricula quaſi peduſculi veſtigium eſſet quo ante adhaeſerat ovario (*äggögat*). Eſt macula referens pupillam aviculae, exigua, rotunda, plana, vitello impreſſa & adnata, omnibus ovis, etiam a prima eorum origine in vitellario, inexiſtens: in ovo recens edito minor in requieto grandior: ex quo quaſi centro germinatio prorumpit; neglectim habita plurimis ſcriptoribus, cum ſit totius ovi pars praecipua, & cujus gratia, ſi ita loqui liceat, reliqua omnia ſunt conformata. Ovum itaq; aeque ac omne vegetabile, forſan & minerale ſemen, machina quaedam eſt & organon, ex pluribus compoſitum particulis ad unam actionem conſpirantibus. Sed alias plura.

Um hisce huc usq; deductis, Typographus perofficiose, si quid imprimendum insuper haberemus, rogaret, commoti hac facilitate, & spe praeterea ducti LECT. BEN. qui circa argumentum, minus adhuc tritum nostris, cuperent instrui, adjectas aliquot pagellas, eodem quo caetera favore perlecturos; constituimus ad telam hactenus concinnatam adnectere hoc segmentum exoticum, veluti fimbriam quandam, ornamenti gratia. More usitato etiam nostris foeminis tum plebejis, tum urbicis, quarum vernaculis indumentis, & e crassiori lana domi confectis, ut plurimum:

Purpureus latè qui splendeat, unus & alter
Assuitur pannus.

Quamquam libellus, à quo haec mutuo sumimus, plurimorum teri manibus integer mereatur; ita cuncta obstetriciam artem spectantia clare tradit & perspicue & ingenue; tamen cum is obvius omnibus e nostris non sit, partem saltem ejus hic recenseri non moleste ferat B. L. Denique totum hunc conatum nostrum obnixè rogamus B. L. in partem bonam interpretetur: neq; otio quo abdamus, abuti nos censeat, cum verbosius disceptemus de iis, quae raro seriò, communiter non nisi per jocum agitare is soleat: - solutos

Qui captat risus hominum famamq; dicacis.

Neq; factum male putet, si nos qui pro patriae salute & incolumitate, & pace aequa, hostibus iniquis opponere pectora non valeamus; domi interim stantes vel voce applaudamus pulcherrimis

facis

facinoribus, fortissimisque rebus gestis nostrorum, vel excolamus ea pro virili, quae ad bonas artes spectant. Quid enim, obsecro, si vel unum puerulum hisce praeceptis, vel matrem unam eripi periculo contingeret, An indignum laude quis existimet: Civem vel hoc servasse modo?

HENRICI DAVENTRII
Art. Obstetricandi Cap. XLIX.

Primo omnium *obstetrix, parturientem sine mora tactu explorare debet:* hoc ipsum si negligat, certissimum est ignorantiae argumentum, aut infidelitatis ejus, ex ignavia ut plurimum & arrogantia fluentis, utpote quae *aut non agnoscit, aut non metuit obliquati uteri pericula.*

Parturiente jam tactu explorata *obstetrix* ex isto tactu cognitionem situs uteri capere debet, & quid inde consequatur: idcirco si quis ab ipsa rationem exigat, oportet illam eidem indicare *locum oris uteri,* an situm sit illud *super mediam pelvim?* an in *antica* ad ossa pubis? an in *postica* ad vertebras sive os sacrum? an in *dextro* an in *sinistro* latere?

Si *obstetrix* asserit: os uteri hiulcum super mediam pelvim situm esse, simul etiam indicare poterit, *quàm late illud pateat, & quid in eo praevium exhibeatur,* caputne, an aliud membrum? seu aquae protuberantes?

Si vertex infantis in ostio oris uteri, atq; os uteri super pelvim, aut in pelvi situm est,

tunc

tunc solùm expectandum, dum Natura parturientem dolorum impetu ad laborandum concitet; *qui quoadusq; cessant, aut pigriores sunt, non opus est, ut parturiens laborando defatigetur, sed dolorum impetum secure licet expectare.*

Si os uteri super mediam pelvim situm fuerit, *obstetrix* etiam indicabit: *altiusne an demissius illud situm sit*: si altius; magni capitis, aut parvae pelvis argumentum est: contrà si demissius jam descenderit; parvi capitis, aut amplae pelvis indicium est, hocq; posterius faciliorem partum promittit, quam prius.

Si os uteri in media quidem pelvi situm est, neq; tamen vertex in eo sentitur: e contrario si caput oblique aut facie praevia exhibeatur, aut vena umbilicalis, aut pes juxta caput prodeat, scito: *Obstetrici non licere, ut parturienti sine auxilio otiosa assideat*; quod si nesciat, quid hoc rerum statu agendum sit, tunc non callet artem suam: illam utique non oportet cessare, quoadusq; remotis quibuscunque aliis membris aut partibus *solum caput in ostio versetur*, ita ut vertex aut facies sola in ostio persistat: praestaret quidem solum verticem in ostio praevium exhiberi; attamen faciei soli valide prorumpenti consultius est locum in ostio concedere, quàm eam violenter velle loco movere; *violenter*, inquam, aliàs si *leniter* ac sine attritûs aut laesionis periculo loco moveri illa poterit, vertexq; in ostium promoveri, tunc ingens progressio facta est.

Si

Si *obſtetrix*, quae prius indicaverat: hoc vel illud membrum juxta vel ante caput in oſtio exhiberi, brevi poſt ſine longo temporis dispendio refert: *ſe membrum ſimul cum capite oblatum retruſiſſe, ſolumque caput vertice, aut*, (ſi quidem aliter non poteſt) *facie praevia in oſtium produxiſſe*, tunc bene fecit, & prudenter negotium geſſit: ſin longas nectit moras, & obſervetur, membrum illud ſimul cum capite exhibitum (ſeu manus ſit, ſeu pes, ſeu vena umbilicalis &c.) ulterius progredi, nec *obſtetricem* illud reducere poſſe, nec ulteriorem prolapſum praecavere, tum ipſa non callet artem, niſi aſſiduorum dolorum vigore impediatur, ut non ſuppetat illi tempus membri ſimul prodeuntis retrudendi: atq; in tanto dolorum fervore tantum non imminet periculum; ſiquidem aquis repente extuberantibus, membranisq; citò ruptis *obſtetrix* mox poſt effluvium aquarũ ſuo quidq; ordine disponere poteſt: ſin iſta doloribus pigris languidisq; adhuc neſciat membrum exhibitum poſt caput retrudere, tunc inepta eſt: & metuendum, ut porro negotium expedire poſſit, quare in illius opera non acquieſcendum.

Ore uteri in pelvim directo, ſi *obſtetrix* ait: ſe tactu nec caput, nec nates poſſe ſentire, nihil in oſtio exhiberi praeter aquas, quae coeperunt extuberare, *iſthaec partûs difficilis indicia ſunt:* Si igitur *obſtetricis tuae* dexteritati confidere non dubitas, bene eſt; alias habi-

habilior tibi quaerenda; *infans*, enim, *transversus prodit*, quare mox post aquarum effluvium caput in ostium producendum, aut *infans pedibus extrahendus est*, nisi matrem & infantem mortis periculo exponere velis.

Si os uteri recta in mediam pelvim quidem tendat, sed loco capitis altera solum manus, pes, genu, cubitum, vena umbilicalis, aut manus unà cum pedibus prodeant, idem, quod modo exposui, periculum imminere memento: deliberandum igitur: *an praesenti obstetrici negotium committere liceat necne?* si licet, bene est: sin minus; *maturato opus est*, nisi matrem cum infante mortis periculo subjicere velis, quae mox post effluvium aquarum cum fœtu servari quidem potest.

Si, ore uteri convenienter super mediam pelvim sito, infantis podex praevius exhibeatur, tunc minus periculi imminet, siquidem ille *cum valentioribus doloribus complicatus excludi quidem potest*: At verò si *obstetrix* egregie callet artem, sub aquarum effluvium infantis situm facile mutare, pedesq; in ostium producere potest, unde facilior adhuc enixus.

Si, ore uteri dicto modo convenienter super mediam pelvim sito, non nisi alteruter pes, aut bini pedes prodeant, tum parum periculi est; si *obstetrix* dexteritate pollet, sub aquarum effluvium *uni pedi prodeunti alterum facile adjungere poterit*; quod si mox post effluvium aquarum effectum dare nesciat, tunc

non

non callet artem, & matri periculum, idemque majus adhuc infanti affert; hic enim, licet vivus tandem prodeat, facile tamen laedi, delumbari aut luxari potest, nisi caute inflectatur, dum in ostium producitur.

Si *obstetrix* post tactum ait: *infans nimis alte adhuc situs est:* neq; novit exponere, quomodo aut quo loco os uteri situm sit, aut quid in illo praevium exhibeatur; dictitans: *intempestivum adhuc, & morandum esse*, usque dum uterus cum infante ulterius delabatur, antequam res istae cognosci queant: interea si observatur, parturientem doloribus ad laborem concitari, tunc in mora illa non licet acquiescere: *obstetrix* enim sub ea *ignorantiam suam conatur abscondere*, sperans, postea omnia feliciter adhuc *forsan* eventura esse; sed male *forsan* evenire possunt: maturè igitur *peritior obstetrix* aut *Chirurgus vel Medicus obstetricans* quaerendus; siquidem os uteri alte suspensum esse res arguit, quia scilicet ipse uterus oblique situs est, aut infans in utero prave versus prodit: utrumque ab initio statim commodius corrigi potest: cunctatio autem & matrem & infantem mortis periculo exponit, quapropter vigilandum est.

Si *obstetrix* refert: os uteri super mediam pelvim non situm, sed in antica ad ossa pubis, aut in postica ad os sacrum, aut in latere ad ossa coxendicis nimis conversum esse; tum periculum imminet: quaeritur igitur: *an os*

illud

illud parum saltem ad ista ossa vergat? an verò multum eò declinet, altiusque illis objaceat? si parum saltem eo vergat; tunc minus periculum est, atque si *obstetrix* usu rerum & exercitatione valet, negotium rite expediet, & abjecta omni cunctatione rem conficiet: sin de cunctatione verba habet, totum negotium Naturae committens, tunc imperita est aut ignava, in qua acquiescere non licet, periculum enim in mora est.

Si *obstetrix* ait: os uteri altius & validius huic vel isti ossi objacere, tunc a Natura enixum noli sperare; id enim & matri & infanti periculosissimum: si *obstetrix tua* usu & exercitatione valet, ut arte partum maturare sciat, tum abjecta omni cunctatione omnem curam atque operam ad id conferat, consultò tamen, caute, promptequé negotium expediat: *cunctatio nihil commodi, sed multum mali quidem inferre potest:* Si rei tam gravi atque arduae *obstetricem praesentem* parem esse addubites, tum peritior tibi quaerenda, aut ad auxilium *periti obstetricantis Chirurgi* confugiendum erit; *talis* enim *uteri positura mortem afferre solet infanti, immo & parturienti nonnunquam*, ac rarò quidem utriusq; vita servatur, si soli Naturae id negotii detur, aut non nisi vulgares suppetiae ferantur; quum contrà, si ejusmodi parturienti manu exercita auxilium subministretur, partusque arte acceleretur, & mater & infans servari possit.

Utero

Utero ſeu recte ſeu plus minus oblique poſito, ſi membranâ ruptâ membrum aliquod (ſive manus, ſive pes &c.) excluſum ſit, id indicat: *partum confeſtim ac ſine mora excludendum eſſe*, quod ſi *obſtetrix* arte e veſtigio effectum dare neſciat, perſvaſa, id a dolorum efficacia expectandum eſſe, tum ocyus exercitior accerſeri debet: quid ceſſas? periculum ſubinde ingraveſcit, opera fit difficilior, cruciatus parturientis aggravantur, viresque ad ferendos dolores deficiunt: *cunctando remis velisq; pleniſſimis in diſcrimen fertur parturiens, ſed maturata partus excluſione periculum ſubterfugit.*

Si *obſtetrix* utero adhuc alte ſuſpenſo, membranisque nondum ruptis periculum indicio ſuo mature detegere omiſit, ſi uterus jam delapſus & ſimul cum infante in anguſtias compulſus eſt, ſi dolores vehementes ſine ſucceſſu irruunt, *tum nullum temporis momentum praetermittendum eſt*; rariſſime enim fit, ut periculo, quod incurrit, ſe ſciat expedire, qui illud mature praevidere & ſubterfugere neſcivit: hoc caſu in *talis obſtetricis* opera acquieſcere noli, ſed, ſi rebus tuis conſultum vis, peritiorem adjungito, quo & matris & infantis, aut alterutrius ad minimum vitae ſervandae proſpiciatur.